

THEODORE


TI EPISCOPI CYRI, VETV
tissimi scriptoris, de Prouidentia Ser.
mones X. Latinitate donati, RO=
DOLPHO GVALTHERO Ti
gurino interprete : nun=
quam antehac uisi
nec editi.



IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit
peccatum mundi.

Figuri, Anno M. D. XLVI.



AMPLISSIMO VIRO

D. IOACHIMO VADIANO SAN
gallensis Ciuitatis CO S. dignifs. Rod.
Gualtherus Tigur. S. P. D.



Apientissimus ille omnium mortalium So-
lomon, regum decus & uera philosophia
celeberrimus cultor, ut omnia alia, ita
hoc quoque uere, pie & sapienter ex di-
uini spiritus instinctu pronunciauit, Timor Domini ini-
tium sapientiae. Causam uero huius dicti pijs & studio-
sis altius excutiendam arbitror, Vadiane amplissime
CO S. idque uel ob eam causam in primis, quod praestā-
tissimi quique nostrae religionis & doctrinae antistites,
sapientiam cum religione ita coniunctam esse tradunt, ut
nec sine sapientia religio, neque illa sine hac consistere
possit. Vnde fit, ut cum homines (sicuti eloquentissimus
ille Christianorum Cicero, Lactantius scribit) natura
religionis & sapientiae appetentes sint, plerumque tamen
fallitur, quod aut religionem suscipiunt ommissa sapien-
tia, aut sapientiae soli studet, ommissa religione: cum alte-
rum sine altero non possit esse uerum. Et dum alteru-
trum suscipiunt, uitam deuiam maximisque erroribus ple-
nam sequuntur: quoniam in his duobus inseparabiliter
connexis, & officium hominis & ueritas omnis inclusa
est. Quia & in colendo sapere debemus, id est, scire

E P I S T O L A

quid nobis & quomodo sit colendū, & in sapiendo co-
 lere, id est, re & actu, quod scierimus, implere. Idcirco
 & in sapiētia religio, & in religione sapiētia est. Hęc
 ergo pulcherrimarū uirtutū indissolubilem connexum
 spiritus sanctus in Solomone perspiciens, Timorē Do-
 mini sapientiæ initium, fontem, originem, fundamētum,
 adeoq; ipsum caput quoq; et summā esse dixit. Si enim
 hominē illū inspicias, qui ex Adamo patre genitus pec-
 cati uim & naturā in carne sua regnantem habet, nec
 dum ex spiritu & aqua, iuxta Christi saluatoris nostri
 doctrinā, regeneratus est, quid aliud q̄ infinitū ignoran-
 tiæ chaos, tenebrarū caliginem plus q̄ Cimmeriā, erga
 stulū peccati, seruitutē plus satis miseram, inuenies? Nō
 percipit enim homo ille *ΛΟΓΙΣΜΟΣ* ea quæ sunt spiritus
 dei. Non est idoneus ut ex se quicquā boni uel cogitet.
 Carnis uolūtate, imò affectuū uī totus regitur, ducitur,
 trahitur, rapitur. In illis misere æstuat, dum modo hi,
 mox alij affectuum fluctus diuersum abripiunt. Nam li-
 cet naturæ legē menti suæ inscriptā gerat, eaq; illū non
 nunquā, imò sæpius de ijs quæ faciēda sunt, admoneat,
 & illicita prohibeat, carnis tamen natura peccati uiri-
 bus adiuta, eiusdem illecebris irritata & satanæ tenta-
 tionibus impulsā, hominē totum ceu bello captū duro
 peccati dominio mācipat. Quod cū Paulus apostolus,
 electū Dei organum, de semetipso agnouerit, neminem

nisi

nisi manifeste impiū, & arrogantia pestilenti inflatū, id negare posse existimo. Nec etiā alia hic res est, qua carnis dominū perinde effugere, illius minus eludere, vires infringere, & peccatorū laqueos vitare, adeoq; insidiatorem Satanā fortius repellere homo possit, q̄ Timor Domini: qui ut nō aliud q̄ religio est, sic omnia vere religionis capita in se plenissimè continet. Hic si adsit, ea luce hominē illuminat, quā Christus suo in carnem aduentu in mundū intulit, ut tenebrarū potestate oppressis salutiferū diuinæ & cœlestis gratiæ iubar offerret, et filios Dei efficeret, quotquot illā fideli mente percipiunt. Hæc peccatis fucū quo homini blandiūtur abstergit, eorundē horrendos vultus detegit, Dei terrificæ in peccatores iudicia in memoriam reuocat, diros supplicij æterni dolores ob oculos ponit, cœlestis uitæ gaudia coram spectanda exhibet, viam quoq; mōstrat, quæ nos per asperos & arduos uitæ huius tramites ad vere beatitudinis arcem perducit, & miro animos hominū desiderio incendit, ut promissam & præparatā sibi ab æterno felicitatē assequi & apprehendere cupiant. Qui enim hęc nobis lucem offert, nequaquā seruilis & ignauus timor est, quo Deū ceu immutem quendam herum, superbißimū regem, uel tyrannū immanissimū formidemus: sed amore tēperatus talis est, qualē patrem piū, clementē & beneficū pij liberi reueren-

tur. Ut enim hi pia reuerētia eum offendere metunt,
quem omnibus suis necessitatibus liberali cura prospici-
cere, & in quo omnia ad uitæ huius sustentationē ne-
cessaria sibi recondita esse intelligūt, & proinde singu-
lari illū amore prosequūtur: Ita pius ille Domini timor
amorē inestimabilem sibi coniunctū habet, quo hanc
maxime ob causam Deū homo metuit, quod uidet, q̄ ab
surdū, iniquum, iniustū & impium sit, eum offendere,
et illius præceptis improbe resistere, qui summū bonū,
omnis boni fons, noster creator, tutor, pater, adeoq; to-
tus noster est, seq; totū nobis liberalissime impedit. Vn-
de fit, ut homo tā p̄ij & benefici patris amore captus,
& eidem obedire cupiens, illius uoluntatē sedulo inqui-
rat, eius notitiā (quæ pulcherrima saluberrimaq; sapi-
entiae pars est) cupide amplectatur, omnemq; uitā iux-
ta huius præscriptū studiose & diligēter instituat. Por-
rò, quemadmodū Timor ille sapientiā ueram in homi-
ne gignit: ita ipse quoq; fontē habet, e cuius uenis ex-
ortus promanat, Dei nimirū uiuus, ueri, summi et omni-
potentis notitiā: quæ sine timore eiusdē esse nequit, et
sine qua nec nos Deum timere possumus. Quis enim
ignotum metuit? Quis principis, cuius nomen non un-
quam audiuit, uires pertimescit? Quis tyranni incogni-
ti crudelitate terretur? Quis itē cum amat & diligit,
cuius animū, ingenū, studia, mores, uires deniq; & sci-
cultates

cultates ignorat? Ita Deum quoq; nemo timebit mortali-
 um, nemo amabit & diliget, nisi qui illius naturam,
 quoad nostri ingenij vires hanc capiunt, perspectã ha-
 buerit. Vbi enim illius iustitiam, ueritatẽ, omnipoten-
 tiam, minus & tristissima per hũc in peccatores exem-
 pla ædita, homo uidet & intelligit, iam caro quoq; eũ,
 quem studijs suis tam insensum esse uidet, timere inci-
 pit. Vbi uero idem homo eiusdẽ infinitam & exemplo
 carentem misericordiã, benignitatẽ clementissimam et
 amorem erga humanũ genus singularem perspexerit,
 quo ille infœlicis hominis non miseretur modo, sed im-
 morigerũ amat, fugientẽ uocat, contumacem fouet, re-
 nitentem trahit, inimicũ complectitur, perfidũ & per-
 iurum apostatam ita deperit, ut nec filio suo unigenito
 propter illum pepercerit, sed eundẽ omnibus humane
 nature (excepto peccato) miserijs exercendũ, & cru-
 deli ac dira morte tollendũ in carnẽ miserit: mox eum
 in se affectũ, eum animum oboriri sentit, quo tam cle-
 mentem dominũ patremq; indulgentissimũ ita amare
 incipit, ut illius præceptis, quantumuis aduersis carni,
 obtemperandum, proq; illius gloria & honore omnes
 fortunas, corpus, uitam, animã deniq; impendenda esse
 intelligat. Et postq; plenior Dei cognitio amorem hũc
 magis incenderit, cum Paulo apostolo exclamat: Quis
 nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num an-

gustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num
 periculum? num gladius? Verum in his omnibus supe-
 ramus per eum, qui dilexit nos. NON infimū uero in
 hac Dei cognitione locū Prouidentiae diuinæ notitia ob-
 tinet: qua Deum omnia præuidere, instituire, regere et
 administrare, ubiq; præsentem esse, omnium saluti pro-
 spicere, sua deniq; sapiētia, iustitia, misericordia, omni-
 potētia, res omnes penetrare credimus. Cur enim non
 eum diligat homo, quem se non iuuare modo, sed in fu-
 turū quoq; prospicere, imò ab æterno prospexisse au-
 dit? Cur nō eum sollicitus ueneretur, cuius iudicia iusta
 esse, & peccatoribus quidem dignas poenas, pijs uero
 amplissima præmia retribuere nouit? Cur non eum ca-
 ro quoq; utcunq; effrenis & contumax, metuat, quem
 ubiq; præsentē esse, omnia inspicere, cordis quoq; co-
 gitationes peruidere, & ut Græci dicunt ἐνδ' ἰκον
 ὀμυᾱ habere intelligit? Cur item aduersa ignauius for-
 midet, timidius excipiat, impatiētius ferat, qui hæc nō
 sine Dei patris sapientissimi consilio sibi immitti cre-
 dit? qui ut sua sapientia res omnes gubernat, sua prou-
 dentia omnes complectitur, sed & capitis nostri pilos
 numeratos habet, ita nihil homini, quem tantopere di-
 ligit, accidere patitur, unde nō summa quædā ad ipsum
 utilitas redeat. Ego certè hac potissimum spe confisos
 apostolos & sanctos Dei martyres tot pericula, tot la-
 bores,

bores, curas, sollicitudines, odia, inimicitias, insidias, carceres, plagas, tormenta, supplicia, & horredas mortes tam fortiter sustinuisse credo, quod coelestem patrē (si ne cuius consensu ne passeret in terram cadunt) sibi adesse, nec plus quā sibi utile sit, impijs in corpora sua permittere, salutem autem ipsorū ab aeterno prospexisse, firmiter crediderunt. Ut autē hęc cognitio in pijs amorē Dei, timorem item & religionē ueram, patientiam, fortitudinē, & presentissimū in aduersis solatiū gignit: ita quotquot in hac unquam aberrauerunt, uel turbulentiſſimis conscientię terroribus immerſi, uel etiā in extremę impietatis barathrū delapſi sunt. Quę pericula non tunc modo obijciuntur homini, cum percidis in ſtar uiuens, diuina omnino negligit: ſed tūc quoque, cum ſuę rationis uiribus omnū quę fiunt, cauſas ſcrupuloſius rimari, argutis & ſubtilibus diſputationibus excutere, adeoq; iudiciorū Dei & diuinę adminiſtrationis arcana ſcrutari conatur. Hic certē arrogans conatus Epicuro olim impijſſimi dogmatis anſam præbuit, & hodie non paucos eiſdem doctrinę ſectatores in eoſdē impietatis laqueos detrudit. Multos etiā eò adigit, ut Deū iniuſtitię & iniquitatis palam accuſent: adeoq; omnū ſclerum & flagitiorū cauſam & authorem faciant. Dum enim multa hic pijs præter meritum (ut ipsis uidetur) accidere, illos inopia, fame, contem

EPISTOLA

ptu, infamia, morbis alijsq; malorū generibus affligi:
 impios aut opibus & honoribus insignes fastu turge-
 re, delitari, & pro suo nutu omnia transigere: dum
 item Dei cultores horrēdis supplicijs è medio tolli, eius-
 dem uero contēptores & hostes florere uidēt: mox aut
 Deum omnino nullū esse, aut certe ad coeli cardines ob-
 ambulante mortalia non curare, aut etiam iniustum ty-
 rāni instar pro sua libidine omnia uersari fingunt. Alij
 rursus, dum diuinæ prouidentiae ordinē minus attenti
 non animaduertūt, Deum ita omnia in omnibus absolu-
 te agere contēdunt, ut & fatalem cum Stoicis neces-
 sitatē statuāt, & Deū homines ad scelera cogere, adeoq;
 ipsum in hominibus mœchari, libidinari, furari, rape-
 re, latrocinari, omne deniq; flagitiorū genus designare
 uociferentur. Quos ego homines in diuinā maiestatem
 nō simpliciter peccare, sed extreme impios & blasphe-
 mos esse arbitror. Parit aut huiusmodi in nobis absur-
 das opiniones nostri ingenij arrogantia, cum huius acu-
 mine in abstrusa Dei iudicia penetrare, et ne nihil igno-
 rauisse uideamur, illius iustitiā secundū nostram hanc
 cecā, mutilam, claudā & imperfectam, aestimare aude-
 mus. Vbi potius nos Deum bonū, iustum, misericordē,
 ueracem, sapientem & omnipotentē agnoscere, & ad
 illius iudicia, si quando nobis obscuriora uiderētur, cū
 Paulo apostolo exclamare oportebat: O profunditatē

diuitiarū

diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei: quæ inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit mentem domini? Aut quis illi fuit à consilijs? Aut quis prior dedit illi et reddetur ei? In hunc portum, inquam, si se omnes cum electo Dei organo humiles reciperent, certè & conscientijs suis minus perturbarentur, & in Deum minus blasphemii essent & impij. Sed quid hæc tam multis ad te, Vadiane amplissime Cossæ qui ut in omnibus singularem eruditionem cum fide uera & pietate summa iunxisti: ita circa hæc quoque orthodoxe sentis, & ideo quoque commissæ tibi patriæ sceptræ hactenus in maximis turbis & periculis prudenti consilio & inconcussa animi fortitudine ad communis Heluætiæ nostræ conseruationem gubernauisti. Putaui tamen me non omnino extra oleas, quod dicitur, cursurum esse, si hæc in Theodoretum nostrum, imò tuum potius, præfarer: qui cum decem orationibus diuinam prouidentiam ita asserat, ut illam nemo quantumuis impius negare amplius possit, à curiosis tamen illis & pplexis humani ingenij disputationibus ita abhorret, ut ne uno quidem in loco aliquam harum mentionem faciat. Deum potius esse docet, & illum sua prouidentia mundi huius machinam omnem & quæcumque hac continentur, regere: eiusdem bonitatem, gratiam, misericordiam, *Ὁλωνθεωπιον*, ueritatem, iustitiam & sapientiam omnibus inculcat: hæc urget,

EPISTOLA

unde Lectores & uitæ integritatē, & fidei puritatem,
 & præsens in aduersis solatiū haurire possint. Huius
 aut orationes Latinitate per nos donatas, tuo potissi-
 mum nomini dedicare uisum est, quod æquū iustumq;
 nobis uideretur, ut ad te rediret quod abs te profectum
 erat. Tu enim nunquā antehac nobis uisus, cum ex Ita-
 lia Romæ nuper impressis accepisses, Henrycho Bul-
 lingero, præceptorī & Meccenati nostro colēdissimo,
 transmisisti: qui ut erga pietatis & artū linguarumq;
 studia liberali animo præditus & p̄bōvōs omnia amicis
 cōmunicat: ita easdē mihi obtulit, pctens simul ut per
 me Latine loqui discerent, quæ hactenus Græcis dūta
 xat auribus intellectæ fuerant. Atqui utinā hic mihi ea
 adfuisset uerborū uis, quæ facundissimi scriptoris elo-
 quentiā exprimere potuisset, quē Oratorē fortissimū,
 & omni artū totiusq; philosophiæ cognitione instru-
 ctum fuisse, uel unicus hic libellus facile testari potest.
 Astrorū enim & cœlestiū orbium tantā cognitionem
 habuit, quanta in Christiano homine esse debet. Aeris,
 terræ et aque naturā exactissimo studio perspexit. Hu-
 mani corporis fabricā ad unguē tenuit. Nihil illi ad ar-
 tium expositionē defuit. Moralis philosophiæ partes
 ita cognouit, ut nihil in eo uel summus philosophus de-
 syderare queat. Accedit his sacræ scripturæ singularis
 notitia, in cuius tractatione doctus, argutus, clarus, fa-
 cilis

eilis & breuis est. Quæ omnia, si mihi quoq; pari elegantia, copia & perspicuitate exprimenda fuissent, eadem omnino mihi quoq; necessaria fuisset eruditio, eadem dicendi uis, eadē tradendi perspicuitas, qua Theodoretus claruit. Quæ omnia q̄ à me alienissima sint, probe noui. Interim tamen ipse mihi temperare nō potui, quin quod à me ille petebat, cui quicquā negare nefas duco, pro uirili præstare, ne tantus thesaurus nō sine cōmuni ecclesiæ iactura diutius lateret. Theodoretum ergo tuum, non sine scenore, ut opinor, ad te redeuntē, sereno uultu excipies, ut idem nostrā amicitiam publice omnibus prædicet, & tui nominis authoritate à calumniatorum uenenatis dentibus defendatur.

Priusq̄ uero epistolam, cuius iam nunc limites metrasiliisse uideo, finia, pauca mihi propter rudiores de ipso authore dicenda uidētur. Fuit is Cyri (quā Plinius Cyropolim, utpote à Cyro conditā, nominat) ciuitatis Persidis episcopus, eruditione (ut modo diximus & opera eius testantur) insigni, eloquentia pari & docendi facilitate admirabili instructus: unde plurimis ingenij sui monumentis ecclesiā adiuuit, & Christianæ fidei puritatē defendit. Nā præter ecclesiasticæ historiæ libros & cōmentarios in scripturas sacras, de incarnatione domini quoq; contra Eutychen scripsit, qui humanam in Christo carnē fuisse negabat: Quo scripto, ut

EPIST. NVNCVPATORIA.

Gennadius testatur, utraq; in Christo naturã, diuinã
 scilicet & humanã, fortiter, uere & orthodoxe asse-
 ruit. Præterea de fide nostra cõtra Gentes, siue de Græ-
 earum affectionũ curatione libros duodecim reliquit:
 tũ multa alia quoq;, quæ partim tẽporis iniuria interci-
 derũt, partim per Italiam in Bibliothecis conseruãtur,
 quæ utinã breui in lucẽ emissa rem Christianã adiuuẽt,
 et authoris nomen celebrius reddant. Floruit aut̃ circa
 annũ à nato Salvatore C C C C L. & ante. Nã Leone
 primo post Martianũ regnante mortuum esse tradũt
 historici, qui Leonẽ anno Domini CCCCLX. regnum
 accepisse, & XVI. annis tenuisse scribũt. Quod idcir-
 co monemus, ut uel temporis uetustas eum authorẽ no-
 bis cõmendet, cuius de Prouidentia Sermones, tam diu
 amissos, eumq; tineis et blattis belũ gerentes, Dei pro-
 uidentia tam pie ab illo asserta, inuentos, doctissimi ui-
 ri Nicolai Maiorani, Vaticanæ uel Põtificiæ Bibliothe-
 cæ præfecti, beneficio reddidit. Utinã uero idem ille
 elementissimus pater sua prouidentia ecclesiæ res tur-
 bulentissimas curare, illis prospicere, ecclesiã tueri, &
 ad nominis sui gloriã ac fidelium salutem conseruare,
 teq; clarissime Vadiane, non uulgare populi sui decus,
 nobis diutissime incolumem custodire dignetur, Amen.
 Tiguri, VIII. Idus Februarij, Anno M. D. XLVI.

THEODORETI EPI-
SCOPI CYRI DE PROVIDEN-
TIA Sermones decem, Latinitate donati
Rod. Gualthero interprete.

S E R M O I.

*Demonstratio Providentiæ ex Cælo, Sole, Luna
 & reliquis stellis.*



NATURA hanc mortalibus legem posuit, ut filij parentibus illatam iniuriam vindicent, & serui dominorum causam asserant, & cum ciuitates ab hostibus oppugnantur, ciues patrię periculis sese opponant: ut denique quicumque beneficia ab alijs acceperunt, dignas benefactoribus suis gratias patrię suę retribuunt. Sed & reges uidere licet, qui ubi commissum sibi populũ recte iusteque gubernant, & potestatem clementia temperant, in bellis per scutigeros & satellites acriter defenduntur. Nec est quod hic mihi mox quispiam obstrepat, & parricidas, mastigia, proditores atque tyrannos obijciens sermonem mendacij arguat. De iustis enim & legum cultoribus nobis sermo est: alteros uero illos & ingratos & transgressores nominare consueuimus, qui pœnas quoque suis facinori-

bus dignas persoluunt. Quod si uero pro parentibus
 liberos, pro dominis seruos, pro ciuitatibus
 ciues, pro regibus satellites regniq; corporis custo-
 des natura pugnare iubet: multo utiq; sanctius et
 iustius est, ut qui à Deo & conditi & saluati sunt,
 pro Deo non uerbis modo pugnent, sed & mor-
 tem extremam eligant. Hic enim & parentibus
 propinquior (huius enim beneficium est quod il-
 li parentes uocantur) & dominis præstantior (hic
 enim ipsa natura, non seruorum calamitas, illi do-
 minij ius contulit) ac omni muro solidior & tu-
 tior (hic enim etsi adamantinus fuerit, hominum
 tamen manibus factus est, licetq; machinarū uim
 & robur effugiat, temporis tamen manus nō un-
 quam effugere potest: ille autem æternus & perpe-
 tuus est, ac ad omnem custodiam & tutelam suffi-
 cit) tum regibus tanto regalior est, quanto excel-
 lentius & immensius apparet quod æternum est,
 si cum eo, quod & factū est & corrumpi solet, con-
 feratur. Deus quippe æternus est, & cognatū æter-
 næ suæ essentiæ imperium obtinet: Rex autē tam
 id ipsum quod est, quàm imperiū à Deo acceptum
 habet, & ad breue temporis spatium paucissimis
 duntaxat, non omnibus qui eiusdem naturæ par-
 ticipes sunt, imperat. Quandoquidem ergo Deus
 & parentibus nobis propinquior est, & dominis
 præstantior, & omnibus benefactoribus magis
 prouidens, tum omni muro tutior ac firmior, cum
 ceterisq; regibus in immensum excellentior, decessit
 omnino, ut nos, qui & hoc ipsum quod sumus,

& quod incolumes ac salui sumus, ab ipso accepimus, impijs quæ illum conuitiari audent linguas nostras opponamus, & pijs rationibus impios illorum sermones retundamus: non equidem ut tanquam indigo nostri opem feramus (nullius enim rei indiget qui omnium creator est, & luteæ huius atq; terrenæ linguæ patrocinio non habet opus: eandem tamen suas laudes celebrantem probat, & pro se pugnantem dignis præmijs remunerat, & mendacium confutantem coronat) sed ut nostrâ erga hunc testemur beneuolentiam, & conseruorum audaciam, siquidem id fieri potest, dissoluamus: uel si minus, arguamus saltem & ijs quoq; spectandam exhibeamus, qui ipsam ignorauerunt hætenus. Atqui multi admodum & uarij eorum qui blasphemijs operam dare student, cunei sunt, & diuersa multum blasphemiarum tela & iacula. Mendaciū enim multiplex & uariū, sed ueritatis gratia simplex est. Poëtarum *Poëtæ.* siquidem phalanx dum diuinum numen uerbis quasi in partes diuidit, & mendacia fabularū uoluptate condit, ex multis quodammodo & diuersis herbis confusam potionem miscens, eo errore, qui Deorum multitudinem docet, hominū mentes inebriauit. Altera autem illa, quæ pallio albo *Philosophi.* & barbæ prolixitate & capitis capillitio philosophiam metitur, poëticæ theologiæ ludicrum & risu dignum figmentum cernens, alias errorum semitas excogitauit, quæ tamen in idem poëtici erroris barathrum homines deduxere. Quidā enim

THEOD. DE PROVIDENTIA

illorum fastuoso orationis & uerborum ornatu
 atq; argumentorum fortissimis copijs turpe illud
 & fœdum Poëtarum de Dijs commētum uelau-
 runt. Alij uero ipsis affectibus & passionibus ho-
 minum Dei nomina & appellationes tribuere au-
 si sunt. Et uoluptatem quidem Veneris, iram ue-
 ro Martis, ebrietatem Bacchi, furtū Mercurij, pru-
 dentiam Mineruæ nominibus appellauerunt. Ac-
 dum huiusmodi quædam superbo admodum su-
 percilio & Attica facundia non sine summa audi-
 torum admiratione effundunt, complures homi-
 num in aliam traduxerunt erroris speciem: adeo,
 ut qui philosophiam professi, & eo, qui ab exter-
 no habitu prouenit, honore potiti homines affe-
 ctibus dominari iusserunt, n̄sdem ut affectus cole-
 rent authores fuerint, mētēq; hominis liberam
 & sui iuris existētem, cui affectuum habentæ com-
 missæ sunt, Concupiscentiæ & iræ, furto & ebie-
 rati alijsq; affectibus sacrificare imprudēter & stul-
 te persuaserunt. Alij rursus, cum nihil præter ea
 quæ oculis cernuntur, mente concipere possent,
 sed sensibilibus duntaxat consideratione mentem
 includerent, res istas externas & uisibiles Deos di-
 xerunt. Et augustū illud quod horrore hominum
 aures concutit nomen, alijs quidem elementis, alijs
 uero eorundem partibus assignare dignati sunt.
 Et hi quidem mūdum per se temere factum esse,
 alijs pro uno plures mundos esse stulta quadā ima-
 ginatione somniauerunt. Alij item Deum omni-
 no nullum esse, alijs uero, esse quidem Deum, sed
 nullam

nullam eorum quæ in rerum natura sunt curam
 gerere: alij rursus, illum quidem res mundi cura
 re dixerunt, sed id perparce admodum & negligenter
 facere. & Lunæ finibus Providentiâ termina-
 re, reliquam uero mundi partem fati necessitati ser-
 uire coactam fortuito ferri tradiderunt. Sunt præ-
 terea alij quidam, qui Christianorum quidem no-
 mine gloriantur, ueritatis autem dogmata palam
 oppugnant. Hi enim illud quod increatum uel inge-
 nitum dicimus in tria secant, & hoc quidem Bo-
 num, illud uero Malum, tertium autem Iustum ap-
 pellant. Alij porro ingenita uel æterna sibi quæ
 inuicem ex diametro pugnantia mirificis uerbis depin-
 gunt. Alij rursus, dum se quidem impia dogma-
 ta oppugnare pollicentur, aliam tamen impieta-
 tis uiam excogitant. Nam licet unigenitum illud
 Dei Verbum, filium scilicet, confiteantur, ipsum
 tamen quasi factum creaturis adnumerant, &
 Creatorem creaturæ parem & æqualem consti-
 tuunt. Sed & spiritum sanctum impia sua disputa-
 tione à uera sua natura excludere uel pellere ni-
 tuntur. Alij quoque per multos & diuersos errores
 amissa recta uia, dum ducum & præeuntium ma-
 iorum uestigijs insistere nolunt, quam longissime
 à ueritate deuiarunt. E quibus alij quidem omne
 illud, quod circa nos transactum est, salutis nego-
 tium abnegauerunt: alij uero Deum quidem Ver-
 bum suum hominem fecisse fatentur, sed solum
 corpus ab hoc assumptum esse contendunt. Rur

THEOD. DE PROVIDENTIA.

Ius alij carnem, quæ assumpta est, animatam uocant, interim uero rationalem & intellectiuam in eo animam fuisse negant: suam nimirû propriam insaniam huius opinionis suæ argumentum constituentes. Nos uero hominis animam nullâ præter eam, quæ & rationalis & immortalis est, nouimus. Cæterum alios quidem omnes nunc omitramus: nec enim fieri potest ut sermo noster ceu in acie consistens contra omnes hosce simul argumentorum iacula emittat. Quapropter omnes alia impiorum turmæ quietem agât: nos uero eorum qui Dei prouidentiam negare audent, acie in medium protracta, eandem argumentorum uiperumpere, perruptâ distrahere, & confertis illorum cohortibus dissolutis ipsos captiuos ducere conemur, omnemq; intellectum in Christi pertrahamus obediētiam. Reliqua uero impiorum turba spectatrix stationem agat, & pugnae certamen spectet. Nam uerisimile est, nequaquã opus fore, ut cum singulis priuatim congressi decertemus, sed ipsæ sua sponte ad ueritatis castra confugient, ubi deuictorum stragem uiderint, & ueritatis uim ac potentiam considerarint. Quin sequens quoque oratio, etiamsi tardior incedat, eos tamen fortasse qui nunc audiunt, & qui post in ipsius lectionem inciderint, aliquo modo afficiet. Indui ergo armaturam spiritus, thoracem iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, & circumcinctis lūbis baltheo ueritatē, & calceati pedibus in preparatione euangelij pacis: super omnia autem arrepto gladio sp

ritus, qui est uerbum Dei, pugnam capeffamus: diuina autem tuba noſtram infirmitatem fulciēs ſuccinat.

Nos uero in ipſo ſtatim limine aduerſarios in terrogabimus, quam ob cauſam Prouidentię Verbo contradicant, cum idem hoc Creatorem ſuum eſſe fateantur. Ad hos enim nobis in preſentia ſermo ſit. Vnde ad hanc impietatem tanto prouiffis impetu? Quid ex omnibus, quæ oculis expoſita ſunt, inornatum & indecorũ uobis uidetur? Quid in toto rerum creatarum numero inordinatũ cernitis? Et quæ nam creaturæ totius pars iuſta proportione caret? Quæ nam uel formæ uel quantitatis defectu laborat? Aut quæ res non rite & concinne mota hanc uobis impietatem peperit? Inſpice ergo nunc (ſiquidem hætenus noluiſtis) uiffibilium omnium naturã, ſitum, ordinem, ſtatum, motum, proportionem, conſonantiam, decorem, pulchritudinem, quantitatem, uſum, delectationem, uarietatem, alternationẽ, & illum qui ſubinde in idem ſit reſreſſum, ſed & eam quæ in corruptibilibus eſt perſeuerantiam & durationem. Cernite (inquam) ipſam Dei prouidentiam, quæ per ſingulas mundi partes proſpicit, apparet & loquitur, tum etiam per ipſas res tantum non clamans indomita ueſtra obturat labia & effrenes uobis linguas freno cohercet. Videte eam in Cælo & in luminibus, quæ in Cælo ſunt, Sole nimirũ, Luna & ſtellis, in aere & nubibus, in terra & mari, in omnibus item quæ in terra ſunt, in plãis &

THEOD. DE PROVIDENTIA

herbis, in seminibus, in animalibus tam rationalibus quam brutis, pedestribus, uolatilibus, aquatilibus, reptilibus & amphibijs, mansuetis & syluestribus, cicuribus & indomitis. Ipsi uobiscum **Cœlum.** pendite, quis nam ille sit, qui cœlestes orbis continet, ut in tot annorum millibus cœlum nec conseruerit, nec aliquam è temporis diuturnitate subierit mutationem, idèq; cum passibili natura constet, sicuti beatus ille David docet: Ipsi (inquit) peribunt, tu uero permanes, & omnes ceu uestimentum ueterascēt, & quasi pallium inuolues ipsos, & mutabuntur. Tu autem unus & idem es, & anni tui non deficiunt. Veruntamen cum & passibili & corruptibili substantia constet, integrum tamen & saluum permansit hactenus, non alia re, quam Creatoris sui uerbo conseruatum. Quod enim hoc condidit Verbum, ipsum quoq; conseruat, & firmitatem simul soliditatemq; illi, quoad uoluerit, largitur. Hanc ergo ob causam, cum tantus circa hoc ignis uoluatur, Solis nimirū, Lunæ & reliquorum syderum, tot tamen annorum eolutionibus nec liquèfactum funditur, nec arefcit, nec incensum ardet. Hasce enim uires ignis natura à Creatore acceptas habet. Aurum quippe & argentum, ferrum item & æs, plumbū & stannum, ceram & picem, & quæcunq; alia sunt huius generis, liquefacta dissoluit, & in fluxam naturam transmutat. Lutum uero & palustria aquisue cœnosa loca humore consumpto arere facit. Lapidem autem excoquit, & omni duritie exiit, quin solis **dissimam**

diffimam horum naturam in puluerem redigit. Lignum item, fœnum & arundines ocius & facillime incendit. Atqui nihil horum cœli natura patitur. Nec enim quod in illo glaciale apparet, liquefactum funditur, cum tanta adsit illi ignis copia: nec eadem illius leuitati nocet, nec sphericam quæ in eo est figuram asperam uel inæqualem reddit: sed quem primo firmum accepit, eundem in finem usque conseruat. Qui enim hoc ceu fornicem constituit, & idem quasi tentorium ad inhabitandum extendit, contrarias sibi inuicem naturas amicitiae legibus constrinxit. Nec ignis naturam aquarum copia extinguit, nec glaciale illud uel aerium & nubilum cœli corpus nimio illo & ardenti ignis ardore liquefcit aut perit. Sed licet uicina sibi cohabitent, celant tamen hostiles uires, & Creatoris sui Verba persuasa perpetuam sanxerunt amicitiam, idque cum inanimata sint, & mente gubernatrice careant: manent tamen, & eum qui ab initio ipsis constitutus est, terminum custodiunt. Creaturam enim ipse Creator regit, nec nauim, quam ipse construxit, regimine & gubernatore destitui patitur. Sed cum idem ipse nauim fabricarit, & materiam e qua constat plantauerit, simulque materiam creauerit, nauimque extruxerit, clauum quoque eiusdem constanter tenet & regit. Testantur hoc ipsum tot annorum circuli, & longissimum temporis spatium, quod nauim hanc non corruptit, sed saluam & integram non primis modo hominibus, sed seræ quoque posteritati spectandam exhibet.

THEOD. DE PROVIDENTIA

Postquam ergo Dei Prouidētiam in Cœlo ap-
 parere uidisti, ô amice, ad alias nūc Creaturę par-
 tes te deducemus, & ut in pueris fieri consueuit,
 qui primos gressus figere incipiūt, dextera tua ap-
 prehensa, te pedetentim omnem hanc totius crea-
 turę machinam obambulare & lustrare docebi-
 mus. A cœlis itaq; in Solem, ceu in gradum pri-
 mum descendito, nec ardorem uel incendium me-
 tuas, sed ipsum conscende & diligēter undiquaq;
 inspice: nec em̄ aduret te, si animus tibi erga Crea-
 torem suum cādīdus & gratus sit: quin potius opi-
 ficem illum tibi monstrabit, qui ipsum naturę suę
 uiribus in contrarium uti iussit. Ignis enim natu-
 rali motu in altū ferri consueuit, quemadmodum
 aqua fluxu deorsum uergente labitur. Nec possi-
 bile est, aquā, ut à montis radice exorta cacumen
 uersus sursum feratur, dirigere, uel igni ut flam-
 mam suam deorsum emittat persuadere. Quin si
 quis lampadem aut facem tenens illam manu de-
 orsum deprimere uel millies contendat, flamma
 tamen in altum fertur, manumq; qua fax tenetur
 impetit, & motū quo illam primo donauit rerum
 opifex non relinquit, sed intra naturę fines consi-
 stit. Creatori autē facilia factu sunt omnia. Nam
 quod tuę dextrę parere recusat, Creatoris & opi-
 ficis nutibus facile cedit. Equidem Solem & Lu-
 nam, unā cum toto illo stellarum cœtu cœlo ter-
 ga uertisse, & radios suos deorsum emittere uide-
 mus. Creatori enim seruiunt, & natura illis est,
 quem Creator cōstituit, terminus. Tibi equidem
 minime

minime parebit ignis natura, nec à propria sua potentia recedet (conseruus enim tibi est) Creatoris autem nutibus sese accōmodat, & cuius natura erat sursum tendēdo in altum ferri, deorsum ferri incipit. Similiter & aquarum naturam, cum fluida & laxa sit, sublimem tamen in altum subuehit idem opifex, & ex imis mundi partibus in altum subductā mediam inter cœlum & terram extendens constituit, non aliquo suffultā præsidio, sed solo uerbo in altum subuectam simul & suspensam. Ceterum interea nihil de nubibus audire desyderabis, nec currere uoles priusquā ingredi possis, sed pedetentim circa mundi machinam obambulans pietatis cursum perdiscito. Verumtamen hic quoq; Dei Prouidentiam inspice, quæ Soli & Lunæ & reliquis stellis infistit, & has ceu uoce quadam hominibus faces præferre iubet, nec simpliciter modo faces præferre, sed & temporis diuisiones & spatia absolueret. Exoriēs enim Sol diei author est: occidens uero, & se ueluti occultans, nocti cedit, cuius caliginosas tenebras Luna & stellarum beneficio ille rerum Conditor temperat. Et sanè diem & noctē ueluti sorores quasdam uidere est, quæ temporis spatia ad hominum usum inuicem mutantur simul & beneuole reddunt. Deficiente enim iam hyeme, & nouo illucescente uere, quando multi admodum hominibus circa sua opera labores exoriuntur, utpote professiones & peregrinationes, nauiumq; è portu deductiones, quādo & mare stratum & hyberni fri

Dies &
nox.

THEOD. DE PROVIDENTIA

goris rigore liberum est, terraq; segetibus superbiens agricolam ad culturam uocat, & plātæ hortulanum ad putationem, purgationem, rigationem & sarritionem inuitant: tunc (inquam) dies operationis tempus hominibus augens à nocte horas mutuo sumit, & paulatim quidem eas recipit, ne nimio augmento ijs noceat, qui eius opera ad res suas cōficiendas utuntur. Nimius enim & maior solito labor, si subitus incidat, corporibus non mediocriter nocet, quæ nulli aliquandiu labores exercuerunt. Quapropter paulatim suum illud incrementum recipit dies. Vbi uero ad medium æstatis peruentū est, desinit quidem mutuo sumere, mox uero debiti solutionem aggreditur, adeo ut hanc ne uel in unici diei moram procrastinando reiiciat. Paulatim autē & sensim, quem admodum ante acceperat, ita quod acceptum est, reddit. Deinde ubi autumnī tempore nocti æqualis factus est, se hac minorem fieri non pudet, nec sororem coniugem debito fraudare sustinet, sed deficiens licet non ante cessat, quā debitum omne persoluerit, tunc quoq; non contemnēdam & longam quietis, qua homines curari possint, temporis opportunitatem conficiens. Cum enim frigoris, pluuiarum item, luti & cœni molestia domi desiderare cogimur, nox ipso die nobis multo iucundior est. Quin tales quoq; est inuenire homines, qui ne sic quidem in tantū extenso noctis spatio, quietis & somni satietatem capiunt, sed diluculi orientis fulgorem molestissime ferunt. Por-

rō ubi debitum omne nox recepit, idem diei mu-
 tuo reddere non recusat. Et sic quidem omnis ui-
 tæ nostræ cursus his spatijs absolvitur, nec mino-
 rem, quàm dies, nox utilitatem hominibus con-
 fert. Primo etenim tenebrarum lucisq; uarietas,
 ipsam lucem nobis iucūdiorem magisq; gratam
 reddit. Vnde aurora meridie multo desyderabi-
 lior est. Vbi enim nos lucis satietas interdū cœ-
 pit, nocturna quiete nobis opus est. Hanc autem
 affecuti satietatis fastidiū ponimus, & denuo lux
 nobis gratissima oritur. Similiter laborum quoq;
 tædio capti fatigatū diurnis operibus corpus no-
 ctu quieti tradimus: & ubi hoc lecto simul & so-
 mno atq; quiete probe curatum est, idem sub au-
 roram ceu nouum ad opera afferimus. Tantæ no-
 bis & talis utilitatis nox author est. Huius benefi-
 cio mercenarius requiescit, & seruus laboribus fi-
 nem & quietē inuenit. Noctis enim tenebræ uel
 laboriosissimos quosq; à laboribus cessare cogūt.
 Hanc ipsam belligerātes quoq; & pugnantes sæ-
 pius optauerunt, hi nempe qui & uictoria usi, ho-
 stes fugiētes persecuti sunt: & hanc aduentātem
 conspicati perseguendī finē fecerunt, fugientibus
 uero fugā concessere securiorem & magis tutam.
 Eadem homines domum congregat, & dulcem
 somnum illis conciliat: feras autem ad pastū edu-
 cit, & liberum tutumq; pascendi tempus exhibet.
 Quapropter magnus ille Dauid Deum omnium
 dominum & Creatorem celebrans exclamat: *Fe Psal. 103.*
 cit Lunā in tempora; Sol cognouit occasum suū.

THEOD. DE PROVIDENTIA

Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa pertran-
sibunt omnes feræ syluestres. Catuli leonum ru-
gientes ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi.
Orrus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus
suis collocabuntur. Exhibet homo ad opus suum,
& ad operationem suam usq; ad uesperum. Qua-
re hanc etiam commoditatem nox exhibet, quod
& homines quiete fouet, & feris escam suam tuto
quærendi occasionem præbet. Sed obijciat fortè
aliquis ex eorum, qui Prouidentiam negant, nu-
mero: Cur autem feras creauit Dominus? & quæ-
nã ab his ad homines redit utilitas? Sed obiectio-
nis huius dilutionem in eum usq; sermonem ex-
pectet, quem de feris singularem habebimus: in-
terea suum iter & institutum persequatur oratio.

Atqui noctis usum hominibus necessarium &
cum primis utilem esse, sufficienter (meo quidem
uidere) ea, quæ modo diximus, docere possunt:
addemus tamen & alia quædam quæ priora ista
suo testimonio confirmant. Quoniam enim natu-
ra nobis mortalis est, & finitã certisq; circumscri-
ptam temporũ spatijs uitam uiuimus, oportebat
utiq; nos temporũ quoq; mensuras edoceri. Nox
itaq; diebus media intercedens temporis mēsuras
constituit. Nam si lux quædã perpetua nullo alio
intercedente medio permansisset, certe nec anno-
rum orbis, nec mensium numerũ discere uel edo-
ceri potuissemus: sed unica illa dies continua to-
tius præsentis sæculi mensura fuisset, qualem ni-
mirum futuri illius sæculi conditionem fore cre-
dimus

Nox temp-
poris men-
sura.

dimus. Illum quippe diem sine uespero fore & omnia alia successione cariturū esse, edocti sumus. Etenim huiusmodi sæculum ijs, qui immortales futuri sunt, conuenit. Cum uero in præsentī hoc propter naturam nostram mortalem fatōq; obnoxiam multa nobis desint, temporis mensuras & spatia nouisse necessariū est: ut dum tempus hoc elabi cernimus, salutis cura tāgamur, nosq; ad peregrinationem & abitionem ē sæculo præparemus. Nox itaq; diei succedens temporis mensura est. Et cum hæc septies diem exceperit, hebdomadis uel septimanæ spatium complet. Mensis uero spatium ex Luna colligimus, unde nomen etiam illi inditum est. Nam Græci Lunam *μήνην* nominare consueuerunt. Hæc enim crescens simul & deficiēs, ubi falcata & diuidua, deinde utrinq; gibbosa, tandemq; plena pleno lumine fulserit, indeq; in gibbosam figuram denuo transiens, rursum quoq; diuidua & falcata apparuerit triginta dierum (paucis duntaxat horis demptis) numerum absoluit. Anni uero circulum, non ex mensibus modo, sed ex dierum quoq; numero didicimus. Ineunte enim uere medium cœlū Sol transiens, æquale diei & noctis spatium cōstituit. Hinc uero eam, quæ magis ad Septentrionē uertit Orientis partē occupans noctes breuiores diesq; longiores reddit: sed & terræ feruentior imminens illius fructus ad maturitatē excoquit. Vbi uero ad solitos usq; terminos peruenerit, à Septētrione in Australes mundi partes reuertitur, rursumq; circa

Luna.

Annus.

THEOD. DE PROVIDENTIA

autumnale tempus æquinoctium afferēs Australior fit, & noctibus quidem horas reddit, quas ab illis acceptas diebus ante tradiderat: aerem uero condensari permittit, ut nubibus obductus uniuersam tellurem irriget. Inde uero ad æquinoctialem circulum reuersus, anni complet circulum.

Postquam igitur Solis & Lunæ usum, simulq; noctis & diei æquales successiones unà cum fructu, qui inde ad iniquos & iniustos redit homines, cognouisti, nūc quoq; quatuor anni partium iucūdiſſimam simul utilissimamq; successionem mihi consydera. Nec enim bifariam solummodo anni circulū diuisit rerum opifex, nec æstatē duntaxat dedit & hyemem, nec ab extremis immediate ad extrema trāsimus: sed uer & autumnus, quibus medium quoddam temperamentum inest, inter frigus & æstum media intercedūt. Et hyemem quidem extreme humidum & frigidū non æstas extreme sicca & calida excipit, sed uernū tempus, quod dum huius quidem calori & illius frigori participat, optimū inter extremas hasce anni qualitates temperamentum constituit, & ab ijs quæ sibi inuicē contrarię sunt, ceu manibus quibusdam apprehēsum, nempe hyemis frigore & æstatis calore in consortium & amicitia pertrahit, quæ alio qui hostiliter pugnant. Quapropter dū ab hyeme ad æstatē progredimur, sine omni molestia id facimus. Nam dum pedetentim illius frigora deserimus, & huius calori appropinquamus, nō ullum damnum ob subitam & nimiam mutationē subi-

re cogimur. Similiter ab æstate quoq; ad hyemem transimus, medio rursus nobis intercedente autumno, qui nos extreme cōtrarijs non subito appellat, sed summū calorem summo frigori miscens, & aliud quoddam temperamentū constituens, paulatim ad illud quoq; extremū nos deducit. Tantā nostri curā gerit summus ille rerū conditor, qui hoc modo per anni partium successiones non molestia modo nos liberat, sed uoluptate quoq; delectat.

Sed exurgat fortasse ingratus quispiam, qui ea quoq; quæ bene & pulchre facta sunt, simulq; sapienter & cōmode administrantur, reprehendere uel culpāre uolens dicat: Cur fides istæ anni conuersiones sūt? Et quæ nam ex hisce anni partium successionebus ad nos utilitas redit? Sed o he sapientissime fortissimeq; Prouidentia accusator, tu potius dicito, quæ nam bona non harum beneficio nobis contingāt. Initium enim sumentē hyeme, semina terris mandamus: qui uero eam nobis artem tradidit, pluuijs è nubibus demissis illa nutrit ac fouet, & marinas aquas uerbo in altum subuehens atq; sublimem ferens, falsas illas & amaras dulcedine conditas transmutat, et in guttas discernit, quas nunc quidē paruulas demittit, nūc uero maiores & torrētis instar ruentes, perinde ac si cribro aliquo hosce nubiū fœrus discernat. In hūc ergo usum hybernū tempus conditū est, ut te hominem ingratissimū alat, ut tibi (inquam) iniquissimo beneficiorum cœlestium censori necessariū ui

THEOD. DE PROVIDENTIA

ctum suppeditet. Nouo autem ineunte uere, alij
 quidē ex agricolis uites putare incipiūt, alij uero
 nouas conferunt, aerisq; calore soluti laxatiq; pal
 mites gemmare coguntur. Deinde ubi æstas ui
 guerit, & solares radij aerem uehementiori calo
 re incenderint, triticū quidem agricolam ad mes
 sem uocat, uuæ nigrescunt, oleæ enutrito iam fru
 ctu turgent, & maturescunt pomorū genera. His
 superueniens autumnus hæc permatura cultoris
 bus suis exhibet: qui ubi fructus omnes college
 runt, ad sementem faciendam denuo accingūtur.
 Desine igitur ingratus esse: desine per ipsius Pro
 uidentiaē munera illi calumnias struere: desine
 (inquā) bona, quæ tibi data sunt, contra datorem
 & largitorem ceu tela eiaculari. Quin potius in
 omnibus, quæ hæctenus dicta sunt, Dei providen
 tiam agnoscere discito, quæ omnia regit & guber
 nat, simulq; omnium bonorum copiam tibi libe
 raliter parat. Sed stellarum quoq; naturam, ea
 rundem situs, ordinem, figuras uarias, iucunditas
 tem, utilitatem, motum, ortus & occasus inspicere.
 Has enim summus ille rerum opifex non in hūc
 modo finem condidit, ut noctis tenebras suo ful
 gore illuminent, & Luna non fulgēte lucis usum
 hominibus exhibeant: sed ut & iter facientes de
 ducant, & nauigantibus uiam monstrent. In has
 enim respiciētes nauæ nullis tritas uestigijs aqua
 rum semitas secant, & harum situs attenti obseru
 uantes nauim regunt, & ad quoscunq; uoluerint
 portus appellunt. Quandoquidē enim aquarum

Stellar.

natura

natura nec equorum nec mulorū nec uiatorum pedibus calcari, nec curruum rotis percurri, nec etiam aliquibus indicijs notisq; signari potest, in quæ uiatores respicere, & iter certum percurrere queant, astrorum situs ceu uestigia quædam mariorum itinerum per alta maria nauigantibus constituere summo illi rerum domino uisum est. O amorem erga homines ineffabilem. O sapiētiā inenarrabilem. Quis utiq; diuinæ prouidentiae bonitatem, potentiam, in dubijs copiam, in difficultibus facilitatem, operum magnitudinem, diuitias, pro dignitate admiretur? Reuera mirabilis facta Psal. 139. est scientia tua ex me, cōfortata est, non potero ad eam. Idem & ego clamo. Quod si uero mihi parueris, eandem mecū uocem ædes, & benefactorem pro uirili laudabis, & infinitis beneficijs affectus gratos sermones illi referes. Porro ne tibi nunc primum gressus figere incipienti longioris uia spatio laborem & molestiam pariamus, hie te quieti tradentes, ut Dei prouidentiam, quæ in cælo & cælestibus apparet, contempleris, relinquamus. Credo enim fore, ut qui hucusq; deductus es, contemplationē hanc ipse augeas, & quæ breuitatis studio in hac oratione nostra omissa sunt, ex ijs quæ diximus, facile colligas, tandemq; cum propheta exclames: Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: tibi sit gloria in æternum, Amen.

THEOD. DE PROVIDENTIA

SERMO II.

Demonstratio Providentiæ ex aère, terra, mari, fluiijs & fontibus.



VI Providentiæ habenis fidem habere nolunt, & mundum hūc, qui cælo & terra constat, sine auriga gubernatore tanta cum consonantia & ordine ferri, nimium imprudenter sibi persuaserūt, perinde mihi facere uidētur, ac si quis in nauī sedens pontumq; trañciens, gubernatorē quidem clauū tenere & gubernacula pro ut opus est mouere, & nunc quidem in dextrum, nunc uero in sinistrum latus declinare, nauimq; ad quoscūq; uolet portus appellere uideat, interim tamen manifeste mendax ueritatem oppugnare studens, gubernatorem puppi insistere neget, tum ipsam nauim nec remis instructam esse, nec clauī motu dirigī, sed sua sponte ferri & per se fluctuum procellas superare, cumq; uentorum incurSIONIBUS decertare dicat, imò nec nauitarum auxilio, nec nauclero, qui in commune consulens nauitis quæ faciēda sunt imperet, opus esse contēdat. Hi enim cum palam & luce clarius omnium rerum Dominum mundum, quem condidit, gubernare, & omnia conuenienter & iusto ordine deducere & mouere uideant, simulq; in omnibus quæ fiunt conuenientem proportionem, ac tum in tota hac mundi machina pulchritudinem usumq; cōmodum

dum, tum in singulis huius partibus utraq; hæc euidenter apparere cernant, uolentes tamen cæcutiunt, imò uidentibus oculis impudentiam suam produnt. Et cum prouidentia munera quotidie percipiant, illa ipsa tamen quæ percipiunt, conuijs lacerant, & per ea quibus fruuntur, rectorem & gubernatorẽ suum oppugnant. Possent autem quæ heri de Cœlo, Luna, Sole & reliquis stellis dicta sunt gratis & beneuolis auditoribus sufficienter persuadere, ut & sapientius iudicaret, & benefactorem suum dignis celebrarent laudibus.

Porro ne quis ex illorum numero, qui Lunam Prouidentia terminum constituentes, officium huius & uires ad illius orbem usq; extendi dixerunt, eamq; nimis parcã & exilem finxerunt, ex sermone nostri breuitate blasphemiae ansam arripiat, hinc rursus te, ô Philotes, per aera ad terram usq; deducemus, & ut hesternò die, ita nunc quoq; pedentim gressus tuos formantes, Prouidentiam in minimis quoq; mundi partibus sese exerere demonstrabimus ijs, qui animum aduertere uoluerint: quin simpliciter omnibus ijs, quæ facta uel genita sunt, tam communiter quàm priuatim ad esse semper & subsequi ostendemus.

Uterius ergo progressi aeris naturam inquiramus. **Aer.** ut nimirum hæc tenuissima sit & labilis, adeo ut facillime euanesces uel fugiens alijs ipsum cohibentibus medijs opus habeat: quapropter rerum opifex, cum cœlum & terram perfecisset, aerem inter hæc medium diffundi uoluit: adeo ut illi per

THEOD. DE PROVIDENTIA

duo hæc cœli & terræ corpora fortissimum & in-
 fractum murum ædificarit, illumq; simul cunctis
 quæ inter cœlum & terram sunt, animatis corpo-
 ribus uitæ opitulatorem fecerit. Hunc enim respi-
 rãdo tum nos homines uiuimus, tum bruta quo-
 que omnia, tam uolatilia quàm reptilia & amphi-
 bia, hoc ceu uitæ suæ opitulatore utuntur. Idem
 commotus nubium irrigationibus terram hume-
 stat. Eodem Sol instar uehicularius uidentiu ocu-
 los suo lumine pascit. Idem medius inter Solem
 terrasq; diffusus radiorum uehementem uim tem-
 perat, & naturali suo humore & frigore illius sic-
 cam & calidam naturam mitigans, ut eius luce si-
 ne molestia & dolore frui possimus, efficit. Et ne
 aerem tanti boni primariu auctorem esse putes,
 uide ut & Sol huius naturam, quæ & immodica
 est, & temperamẽto opus habet, suo calore fouẽs
 reprimat. Aeris enim naturam, si omni tempera-
 mento careat, ob immensum frigus nemo ferret:
 quod ipsum hybernum tempus abunde testatur.
 Tunc enim ad Australes poli partes Sol transcur-
 rens, & Boreales mediasq; cœli regiones deserẽs,
 licentiam quandam & impunitatem aeri præbet,
 ut suæ naturæ uiribus liberius utatur. Quapro-
 pter quia tunc Solis calore non cõsumitur, sed fri-
 gore astrictus constipatur, largissimas quoq; plu-
 uias destillat, quas uehementioribus uentoru pro-
 cellis exasperans in niuem & grandinem consti-
 pat: tum rorem quoq; sereno cœlo destillantẽ au-
 ra condensans frigore suo in pruinam conuertit.

Et

Et hæc quidem omnia, cum Sol longius abest, licet adhuc illius calorem et vires non nihil sentiat, parere consuevit. Cæterum aliud quoque hic se argumentum profert, unde Dei Providentiam euidenter cõspicere licet. Cum enim magna elementis utilitas insit, & eorũdem eximijs usus existat, ad hæc insigni quoque pulchritudine & specie inefabili luceant, Deus ea quoque, quæ nobis molestiora & aduersa uidentur, ideo condidit, ne ipsa elementa pro Dijs haberemus, sed Dei opera crederemus esse, quæ & regantur & gubernentur, quocumque ille uoluerit. Quapropter, hic uitæ nostræ cooperarius aer, cuius respiratione omnes nos uiuimus (hic, inquam, communis pauperum simul & diuitijs superbientium, seruorum & dominorum, priuatorum regumque thesaurus, cuius respiratione nõ magis quam pauper aliquis, fruuntur qui purpura ornati sunt, sed qui æqualiter distributus uniuersam hominũ naturam, quoad singulis necessarius est, honorat & adiuuat) non modo iucundis auræ respirationibus & pluuiarum generatione nos delectat, uerumetiã frigore nobis molestior est: hoc nimirũ argumento nos docens, quod solus ad uitæ generationem & uiuentium salutem minime sufficiat. Similiter & Solis radij non delectare solummodo & uisibilia corporum, quantitatis item & coloris differentiã ostendere solent, sed idem illi contristant quoque, & nisi summus ille rerum gubernator aeris motu auras frigidulas nobis cieret, idem ille Sol, quem stulti

Elementa
delectant si-
mul & affli-
gunt.

adorare solent, uno omnia incendio simul miscēs cultoribus quoq; suis uitam eriperet. Nullū itaq; ex elementorum numero solum per se uitam largiri potest, imò nec omnia simul temperata sine suprema illa, qua omnia gubernantur, uirtute & potētia, alicuius boni causa esse possunt. Nam uis dere est, quod cum aer est temperantissimus, cum tempestiuus imbribus terras rigat, Sol item radiorum uiribus clementer utitur, cum uentorum auræ conuenienter spirant, cum agricolæ etiam terram studiose colūt, & sementes rite faciunt, tamen nec terra fructus liberaliter grateq; persoluit, nec humanum genus à morbis est liberum. Horū autem summus ille rerum administrator author est, hoc nimirū argumento nobis persuadere uolens, ne creaturis fidamus, nec hisce, sed harum opifici bona hæc feramus accepta.

Quoniã ergo ipsum aerem quoq; diuinæ providentiæ gubernatione frui, & eundem illum huius beneficio per tot iam annorū millia suffecisse uidisti, adeo ut nec animalium respirationibus absumptus sit, nec corporum, quibus continetur, fines eruperit: agedum ad terram quoq; cōmunem omnium nutricem, matrem ac sepulchrum, te ducamus: è qua corpus tibi est luteum, & os illud, quod contra creatorem suum (iuxta Danielis uisionem) tam grandia loquitur.

Ante omnia autem huius situm considera & multiformem eius speciem. Nec enim omnia uel supina, uel plana aut etiã ardua sunt: sed in mon-

res, sylvas & campos tota terra diuisa est. Videas enim in patentissimis campis colles in altum surgere, inter montes autem medios loca prona & plana maris sinus forma sua referre. Sed & ipsos montes in hominum usus & utilitatem rerū conditor distribuit: quos dum ualliū præcipitijs discreuit, hybernis & niualibus aquis meatus struxit uel alueos, tum hominibus quoq; in iniquis & asperis locis faciles uiarū semitas extendit. Præterea montes quidem fabrorum arti materiam exhibent, campi uero montium cultoribus frumenti copiam & usum retribuunt. Sed & situs ille uariis non alio modo, uerum etiam intuentium oculos mirifice delectat. Quæ enim unā & eandem formam habent, mox satietatem sui pariunt. Dic ergo mihi, quis nā sit, qui hæc tam pulchre disposuit: qui tantis facultatibus hæc instruxit, ut tot annorum evolutiones thesaurum hunc non potuerint consumere? quis item ille sit, qui ea quæ in rerum natura sunt, firma & immota cōseruat? Quis fluminum fluentia urget? quis fontium uenas impellit? Ecce etenim, ut illi heic quidem in summis scateant montiū uerticibus, alibi uero ne sub imis quidem montium radicibus ulli appareant, sed è profundissimis puteis aquarū usum hominibus offerant. Ne enim hanc aquarum naturam esse arbitraris, ut sua sponte in altum tendat, diuersum re ipsa docet mūdi conditor: adeo ut aqua Dei uerbo obediens summos montium uertices facile occupet, quam si arte tua cogere uelis, nunquam ta-

Fontes

THEOD. DE PROVIDENTIA

men in camporum planitiem redierit: sed illic ef-
 fodiendo & terræ profunda rimando puteos con-
 struis, ut aquis è profundo exhaustis frui queas.
 Elementorum enim conseruus, non creator es.
 Creatori autem facillimum est factu, aquarū na-
 turam non modo in montium uertices, sed in me-
 dium quoq; aerem subuehere, & amaram dulce-
 dine condire, liquidam & solutā densare, ligatam
 geluq; astrictam soluere, continuam discernere,
 fluidam sistere, eamq; cuius naturalis motus deor-
 sum fertur, sursum currentem ostendere, sed & fri-
 gore torpētē sine ignis adminiculo calefacere.
 Et hæc quidem propter te, hominem ingratissi-
 mum, facit, ut illarum quoq; beneficio, quæ citra
 omnem hominum operam calefactæ sunt, frui
 possis, ut nimirum corporum morbis per has me-
 deri liceat. Sed & eas ipsas uarias & diuersas tibi
 exhibuit, & quæ diuersis quoq; & contrarijs usi-
 bus conueniant. Aliæ enim neruos rigentes laxāt
 & molliunt. Aliæ uero luxatos astringūt & robo-
 rant. Rursus hæc quidem phlegmata infestāt, aliæ
 autem melancholiæ medentur, & aliæ ulcera ex-
 iccant. Tantam in calētibus quoq; aquis commo-
 ditatem rerum gubernator tibi contulit. Te uero
 nihil horum mouere potest, quò minus blasphemus
 sis, sed ingratus esse pergis, conuitia expuis,
 & Manichei morbo uel infania laboras, qui cum
 cibo & potu fruatur, eos tam cōuitijs lacerat, qui
 hæc ipsi exhibent, imò messorēs quoq; & pistores
 impetit, tum & illos qui panem dissecant execra-

Thermæ.

aut, ipse quidem panem secare non ausus, sed secatum comedere minime ueritus. Simili modo & tu, cum infinita hæc & innumera bona percipias, quæ rerū conditor tibi offert, quotidie tamen per ipsam creaturam tanto largitori te ingratum præbes, nec à conuiujs & blasphemijs abstines, dum illum ijs prouidere negas, quæ ipse condidit.

Vide autem quantæ illum iniquitatis accuses, dum has illi intendis calumnias? Cur enim hæc creauit, si eorundem curam habere noluit? Quam uero ob causam horum curam detrectat? num quod illam quidem gerere posset, sed id facere nolit? At qui hoc illum posse, omnia hæc quæ facta sunt testantur. Quomodo enim uisibilium horum pulchritudinem, magnitudinem & proportionem condidit, si potentiam linguæ aut uerbis respondentem non habet? Quomodo item in consortium & habitum unum redegit quæ inter se diuersa sunt, nempe aquam & ignem, diem & noctem, unamq; ex omnibus istis harmoniam & consonantiam constituit, qui nihil prouidere potest? Multo maius enim est, ea quæ non sunt, ut sint efficere, quàm ijs quæ sunt, prouidere. Veruntamen, quod hæc possit, mundus ipse testis est: quod uero & uelit, idem ille locupletissime testatur. Nec enim aliquo cogente mundi opificium aggressus est, nec ceu rerum indigus mundum introduxit, sed quia bonus est, & bonitatem omni mensura maiorem possidet, ijs quæ non erant, ipsum ESSE dare uoluit. Qui ergo tanta erga hæc quæ non e-

Dens creaturas suas curat.

rant bonitate usus est, qua ratione ea quæ iam facta sunt, negligeret? Nec enim dicere possumus, quod operibus suis dominus inuideat. Natura enim ab inuidia & omni affectu libera præditus est. Porro ut quàm abundantissime impietatis imbecillitatem exerceamus, pauca quædam ipsos interrogabimus.

Quam ob causam cedo Deum mundo, qui ipsum ESSE ab ipso accepit, inuidisse dicitis? Num propter magnitudinē? Atqui ipse & increatus & infinitus est, qui nec initium habuit unquam, nec finem quoque habiturus est, omnia item complectitur, ipse à nullo circumscriptus: nam in manu eius sunt fines terræ, & ipse manu mensuratus est aquas, & cælum spiritans, omnemque terram pugno. Num uero propter pulchritudinem? Atqui ab ipso factus est. Atqui nemo uel inuidissimorum hominum, si domum elegantem & splendidam ædificarit, illi inuidet unquam, quin potius uoluptatē inde capit, delectatur, gaudet, & si qui eam non uiderunt ante, ipsidem illam spectandā monstrat. Quæ autem hominis ratio unquam digne expendet, quanto omnem mundi huius formam et pulchritudinē intelligibilis illius lucis, cuius uirtute omnia hæc condita sunt, pulchritudo exuperet? Videte ergo, quorsum tandem euadat impietas? Cum enim pessimi quique homines domibus à se extractis non modo non inuideant, sed illis uel maxime superbiant, uos tamen in omnis bonitatis fontem, cuius natura est nullo affectu turbari, in-

uidia

uidiæ affectū cadere dicetis? Et quis nam impietatis gradus hoc sublimior uobis relictus est? Quoniam ergo mundi huius gubernacula Deus obtinere potest, & eundem bonis omnibus frui uult, manifeste uicq; constat, quod eundem curet simul & illi præsit: quin apprehēsis habenis eius ceu peritus aliquis auriga omnem naturam abs se creatam regit, nihilq; incuratum relinquit.

Porro, ut hæc tibi plenius consentiant, ad mare rur- Mare.
sus descendito, & illius profunditatem, amplitudinem, fretorū interstitia, littora, portus, & in medio eius sitas insulas, pisciū item genera, species, formas, uarietatem, & amorem, quo terras appetunt, considera. Simul & fluctuum saltus & Providentiæ frenum, quod illis iniectum est, inspice: quo nimirum impediti terras inundare nequeūt, sed dum contra arenam impetuose feruntur, positos tamen sibi terminos pertimescunt: & dum legem à Deo sibi latam illic inscriptā uident, instar contumacis equi, qui à sessore freno retractus colulum reflectit retroq; cedit, refugiunt, quasi & eius facti illos pœniteat, quod arenis appellere ausi sunt. Ad hæc per mare terras diuisas uidemus, quo etiam ceu sequestro quæ procul inter se distant, in amicitiam coierunt. Concordiam enim humano generi inferere uolēs Dominus, mutuis illos operis & auxiliorum necessitate constrinxit. Per mare longinquas peregrinationes facimus, & ea, quibus indigemus, à nobis inuicem petimus, simulq; alijs, quæ ipsis necessaria sunt, rependimus. Nec

THEOD. DE PROVIDENTIA

enim aliquam terræ partem summus ille rerū ad-
 ministrator cultoribus suis omnia simul ad usum
 uictumq; necessaria proferre passus est, ne nullius
 ope indigens copia mutuæ amicitia noceret. In
 iurijs enim gaudet rerum saturitas, & turbarum
 parens est. Vnde in medium telluris mare promi-
 net, quod in plurimos sinus diuisum, ingentis ali-
 cuius ciuitatis forum representat, omnem necessa-
 riorum copiam liberaliter exhibēs, multosq; tam
 uenditores quàm emptores capiens, quos hinc in-
 de dimittit simul & adducit. Quia em̄ profectio-
 nes quę per terram fiunt, plenæ laborū sunt, quin
 non modo laboriosum, uerum etiam impossibile
 erat, ut per has omnis inopia sarciretur, maris dor-
 sum extendit Deus, quod tam magnarum q̄ par-
 uarum nauium capax est, quæ multam necessaria-
 rum rerum copiam indigis hominibus aduehūt.
 Nam unius nauis onera uix aliquot millibus iu-
 mentorum uehi posse uidemus. Ne uero qui per
 mare iter faciunt, nimia afficerentur molestia, in-
 sulas ueluti stationes quasdam rerum conditor in-
 fixit, in quas delati refectis corporibus & emptis
 necessarijs rursus eò soluant, quò illis cursus est.
 Reuerere ergo beneficiorum multitudinem, dixit
 mare. Magis etenim tibi quàm Sidoni, hæc pro-
 phetæ uerba conuenient. Hæc quippe, cum mūdi
 Creatorem ignoraret, ipsum numen in multos
 Deos distraxit, & unicum illum cultum dissecans
 ijs illum, qui Dī non erant, impendit, Prouiden-
 tiam interim non negans, sed illis hanc tribuens.

Nec

Nec enim sacra fecisset ijs, quos Deos esse putabat, nisi plene sibi persuasisset, quod & utilitatem conferrent, & damnum auerterent. Tu autem errore, qui Deorum multitudinem fingit liberatus, cum uisibilia hæc omnia facta esse fatearis, & horum creatorem adores, eundem tamen ab operibus suis eijs, & quàm longissime à Creatura collocas, hancq; tantam mundi machinam gubernatore carere, & ceu nauim quandam, omni regimine simul & præsidio destitutã, fortuitis casibus ferri contendis. Reuerere ergo ea, quæ ex mari accipis beneficia: tum & illa, quæ ex terra, ex aere, ex Sole tibi proueniunt. Reuerere & cœli, quod tibi incumbit, fastigium. Reuerere tributũ, quod ex mũdo percipis. Singula enim horum, quæ modo recensuimus, tibi quasi tributaria sunt, & sui usum ceu reditus quosdam & uectigal tibi offerunt. Et Sol quidem illuminat, calefacit, & è terra prognatos fructus excoquit. Luna noctu præluceat. Stellæ tibi in terris uersanti nocturnum tempus indicant, & temporum uicissitudinẽ signant: per mare autem nauiganti uia: ad terram duces sunt. Aer item abs te haustus eum, qui tibi ingenius est, calorẽ recreat. Pluuiæ agriculturæ fructus enutriunt, Et dum frigora ciet naturæ conditor, plantas simul & semina in altum germinare prohibet, & uegetatiuam uim in radices distribuit, eamq; in altum eluctantem frigore, ceu flagello quodam ad inferiora compellit. Idem repulium quoq; quæ & plantis & seminibus nocet, corpore

THEOD. DE PROVIDENTIA

ra perdit: simulq; tibi alumno suo auium genera exhibet. Quid uero hic fructus, qui è terra, è fontibus, è fluuijs, è mari proueniunt, enumerare attinget? His ergo cum fruaris omnibus, largitoris tamen obliuisceris? Et cum creaturæ fructus percipias, aduersus creatorem tamen insanis, furis & desipis? Sed & dona, quæ manibus gestas & circunfers, non sentis, sed contradicendi rabie laboras? Noui em̄ obiectiones tuas: sed nec illas ipsas huic sermoni adiungere, nec earundem solutiones subtexere institui. Sed cum alter mihi sermo, quo iuari possum, restet, Prouidentiam, quam tu oppugnas, hisce rationibus fulcire uolui. Interea te hic dimissum in eorum, quæ dicta sunt, consideratione cum uoluptate uersari, & undiquaq; salutem tuam uenari iubens, ipse omnium gubernatorem laudibus decantabo, cui debetur gloria in æternum, Amen.

SERMO III.

Demonstratio Prouidentie ab humani corporis fabrica.



VI corporibus ualēt, ijs medicorum cura minime opus est: ualetudo enim salua & incolumis pharmacorū opē non indiget. Qui autē morbo aliquo infestantur, medicos in auxilium uocare consueuerunt, quorum arte & armis contra morbos auxiliarijs

xiliaris uel illos quasi hostes quosdam e corporibus propulsare conantur. Medica enim ars corporibus auxilium præbet, & morbis insidias fruit. Similiter, qui animabus suis ualent, & illas pierate sana & integra exornatas habent, nullis doctrinæ pharmacis indigent: qui autem praua aliqua opinione tenentur, quiq; prophanorum dogmatum morbos contraxere, & temporis diuturnitate ex affectione habitum morbi naeti sunt, multis equidem purgationibus opus habent, quæ inimicam illam materiam repellere animasq; puriores reddere queant. Sed & multis alijs pharmacis indigent, quæ genitales peccatis materiae meatus sua uirtute occludat & obstruant, atq; noxios dolores sedent. Quoniam itaq; periculosus admodum & difficilis illorum morbus est, qui mundo Providentiæ curam negare & auferre conantur, duo quidem pharmaca, ex mundi partibus temperata, iam illis obtulimus: ut uero omnem morbum radicitus euellamus, & illos molesta & difficili hac infirmitate omnino liberemus, tertium quoque illis parare & offerre aggrediemur. Huius autem parandi pharmaci materiam, nec e cælo uel terra uel mari, nec ex Sole uel Luna aut reliquis stellis, nec ite ex aere uel nubibus aut uentis, nec etiam ex fluminibus uel fontibus aut puteis, sed ab illis ipsis, qui blasphemias huiusmodi effundere student, petemus. Cum enim illis os a creatore donatum sit, ut pro acceptis ab illo bonis largitori laudem offerant, non modo illum laudare recu-

THEOD. DE PROVIDENTIA

sant, sed blasphemijs quoq; linguam polluant, et nobile illud orationis instrumentum ignominiosissime tractant.

Sermonis
uel uocis
organum.

Atqui unicum illud hominis membrum, Creatoris non modo sapientiam, sed immensam quoq; & inexhaustam eius erga nos bonitatem sufficienti demonstratione testari potest. Organo enim Musico, quod æneis fistulis constat, & folium flatus uel aura inspiratum, artificisq; digitis motum, soni concinnam hanc uocem ædit, plane simillimum est. Non autem ab arte natura principium duxit, sed ars à natura iucundi illius & suauis concetus organum fabricare didicit. Exemplar enim artis natura est, simulachrum uero naturæ ars. Ecce igitur, ô homo, qui cum loquendi donum diuinitus acceperis, eum tamen qui te tanto honore dignatus est, merito suo honore spoliast, ut pulmo quidem instar follis uel utris situs sit, quem non hominis alicuius pedes, sed thoraci adiacentes musculi ipsum contrahentes simul & dilatantes expriment. Hic uero per arteriam asperam spiritum emittit, qui expulsus gutturis operculum aperit, & per ipsum guttur ad os usq; effertur. Ratio autem lingua quasi dextræ manus officio utens, ipsam dentibus ceu æneis quibusdam fistulis infert, facitq; ut sursum et deorsum discurrere, et expedite simul & facile elabi queat. Simul autem huic motus facilitate subiacens illa glans opitulatur, quæ fontis instar perpetuo humore scater. Cû enim assiduus le motus linguam exiccet, iusto utiq; & modico humore

humore opus erat, qui ipsam & humectaret, & leuiorem reddendo motū quoq; præberet facilem. Postquam ergo hominis ratio per linguam dentibus illisa est, spiritu simul (ut dixi) emissio, & labijs contractis, & aëre spiritus emissionem consonanter percussio, articularis illa uox perficitur, & sermonis uehiculum fit spiritus, qui ex interioribus effertur, natura nimirum quod in hoc cordis aduersione fumosum iam est, tanquã superfluum, expellente. Cum enim cor naturalis caloris fontem rerum opifex fecerit, & ex hoc totum corpus caloris qualitatem hauriat, tum ipsum quoq; cor tanto calore occupatum recreatione uel refrigerio opus haberet, pulmonis respiratione illud recreari curauit naturæ conditor. Hic enim purum, qui extra nos est, aërem per asperam arteriam suscipit, per leuem uero illum ipsum ad sinistrum cordis sinum transmittit: inde enim (quemadmodū tradunt, qui de his diligentius perscripserunt) illa principium ducit. Pulmo autem purū illum & recentem aërem cordi transmittens, alterum illum, qui iam cordis calore feruens fumosior est, recipit, & eundem ceu superfluum per asperā arteriam rursus foras expellit, adeo ut qui superfluum & omnino inuutilis uidebatur, mente hominis sic uolente, quæ & linguam concinne & decenter mouet, sermonis uehiculum fiat: & spiritus ille, quem ceu noxium pulmo à corde euexit & expulit, articulationis uocis author est & operarius. Vere ergo exclamare licet: **O** profunditatem diuitiarū & sapien-

Rom. 11.

Psal. 105.

Psal. 103.

Instrumenta
Musica.

tia & scientia Dei. Vere (inquam) & hoc dicemus: Quis enarrabit potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius. Vere inquam dicimus: Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti. Et quæ nam oratio Creatoris laudibus sufficiet? Quibus uerbis corporis nostri fabrica digne enarrari poterit? Quis sermo, ut sermonis organa exponat, erit sufficiens? Quis ad tantam peruenit sapientiam, ut Creatoris sapientiam plene perspexerit? Tu uero cum hæc non uideas modo, uerum etiam eorundem usu fruaris, horum tamen authorem celebrare detrectas, tum negligentia illum accusas, qui omnium quæ fecit, curam gerit diligentiissimam. Et sanè unica hæc humani corporis pars Creatoris curâ & studium, quo erga uiuentem hanc creaturâ suam tenetur, plenissime demonstrare potest. Cum enim sermonis usu nos donauerit, ea etiam quæ sermoni conueniunt, dedit organa. A quibus imitationis ansam accipiens ars tibias fecit, sed & lyras & citharas composuit. Nam dentium loco chordæ extensa sunt, labiorum autem usum æs implet, & lingua officium ipsis chordis plectrum exhibet: manus autem dum ab acuto sono ad grauem transit, hominis rationem imitatur, quæ linguam sursum et deorsum currentem moderatur. Verum tamen tanta licet arti diligentia insit, numerum quidem & consonantiam carminis homines admirantur, nullam uero articulatam uocem uel sermonem audiunt. Naturæ enim æmulatrix est ars, articulatam

uero

uero uocem natura perficit, utpote quæ à Deo omnium creatore sit condita. Et quemadmodum ars animalis figuram imitari consuevit, & uel æneam massam uel lapidem in humanæ formæ speciem effingit, simulq; & oculos & nares, os denique, aures, collū, manus, pectus, uentrem, femora & crura pedestiq; addit, sensum uero ac rationē motusq; uolūtarij facultatem largiri non potest: sic lyra quoq; & cithara, & quod ex æneis fistulis constat organum, sonum quidem concinnum & suis constātem numeris per inspirationes uel pulsationes reddunt, uocem uero articulatam solum illud uiuum, quod horū exemplar est, organum ædit. Hoc enim ipsius Creatoris opus est: illa uero omnia ab eo facta sunt, qui Creatoris imago est: adeo ut homo, qui Creatoris imago est, ipsum Creatorem imitari contendat. Et sanè quæcunq; sic fiunt, umbris cum ipsa rerum ueritate pugnantibus, simillima uidentur, quæ formam quidē rerum referunt, ipsa autem operandi uirtute carent. Tantā ergo in hisce organis Dei omnium Creatoris Providentiam cernens, desine quæso illi negligentiae crimen obijcere.

Porro, ut ex alijs membris quoque Creatoris, quam de nobis gerit, curam cognoscas, agedum ad ipsum cor te reducamus. Hoc ergo, quia præstantissima humani corporis pars est, & totius corporis imperium sibi cōmissum habet, ceu regem quendā undiq; munit, & thoracis fortissimo uallo circumsepfit, ne quid eorum quæ extrinsecus

THEOD. DE PROVIDENTIA

homini incidunt, cor facilius lædere queat. Quoniam uero idem hoc assidue mouetur (nam articularum fons est) inferius quidem rarum, spongiosum, porosum & arterijs plenū pulmonis corpus illi substernere placuit: superius uero conū ipsius robustiorem fecit, & tunicam membraneam quidem, sed densam ualidamq; circūposuit. Alimentū autem materiam cordi, non spiritus modo, sed etiam sanguis exhibet, quem à iecinoris partibus per uenam cauam, ceu canalem quendā, attrahit. Cæterū iecur ex uentre eandem illam haurit materiam. Venter uero stomachi opera cibum dentibus conscissum & molarium ui comminutum attrahit, & attractum primo quidem seruat, succum illius elicit, alterat & trāsmutat, sibiq; similem efficit: deinde concoctum probe & mutatum rite & æqualiter discernit, & purissimam quidem illius partem iecinori colandam attrahendamq; concedit: quod uero in eodē superfluum est expulsoria uirtute intestinis transmissum eijcit. Similiter & iecur, ubi puram illam & synceriores alimentū partem suscepit, purgatione & discretionem ea, quam modo exposuimus, minime cōtentum est, sed eandem denuo quasi per fauces quasdam & angustiores meatus discernit & purgat: cuius densiorem et lutosam feculentamq; partē per meatus quosdam lien ad se trahens, eas sibi alimentum facit: alteram uero eius partem, quæ ultra modum excocta biliosam qualitatem contraxit, pallidiorq; facta est, bilis uesicula recipit. Quod uero in eadē fluxum

nimisq;

Iecur.

Lien.

nimisq̄ tenuē est, nec quicquā alere potest, in ue-
 ficam, humidis excrementis destinatarum receptacu-
 lum, secedit. Et sic quidem, ubi alimētum hoc ple-
 ne purgatum & iecinori conforme in sanguinis
 naturam transijt, mox illum caua uena excipiens, *Vena cava.*
 cordi quidem, quantum opus est, confert, simulq̄
 in superiores corporis partes transmittit, tum in
 plures uenarum ramos dissecta, thoracem quoq̄
 nutrit, humeros & manus, quin ad ipsos quoque
 unguēs peruenit, collum amplectitur, caput occu-
 pat, in clunēs deniq̄, femora, genua, tibias pedesq̄
 descendit, imò omnes corporis partes ambit, nec
 ullum membrorum uiuentiū hac irrigatione de-
 stituitur. Venæ enim canales & aquæductus simi- *Venæ.*
 litudine referunt, quibus corporis irrigandi offi-
 cium concreditum est. Quapropter tenui quoque
 & rara tunica constant, ut quæ illis adiacēt partes
 alimētum ex illis facilius haurire possint. Arterijs *Arteriæ.*
 autem & densiores & duplices tunicæ sunt: non
 enim sanguinis uasa sunt, sed spiritus, qui & te-
 nuior est, & facilius quàm sanguis effluit. Quam
 obrem uel hinc quoq̄ Creatoris Prouidentiam
 agnoscito. Venas etenim, quæ corporis nostri mē-
 bris sanguinem aduehunt, ex tenuissimis mēbra-
 nis composuit, & illorū poris quasi fungosa quæ-
 dam palliola circundedit. Corpus enim crassum
 est, & maioribus ad effluxionē poris indiget. Ne
 ramen omnis simul efflueret, sed quasi humorem
 solummodo aliquem uicinis membris exhiberet,
 huiusmodi uasorum naturam constituit. Arterias

THEOD. DE PROVIDENTIA

autem, quibus uitalis ille spiritus per totū corpus uehitur, qui & tenuissimus est, & facillime euacuari potest, utpote qui per maximos quoq; meatus mox effluit, non simili modo contexitur summus ille rerum opifex, nec una duntaxat tunica, sed duabus, ijsq; densis simul & solidis cōstare uoluit. Venis autem arterias circūposuit, ut sanguis calidi spiritus commotione excitatus undiquaq; discurrat. Hic enim, si immotus consistat, condensari consuevit. Quam ob causam in membris quibusdam has sibi inuicem minutissimis poris uel meatibus inseruit, ut nimirum sanguis spiritū paulisper suscipiat, quo impulsus moueatur: spiritus uero humore aliquo humectetur et madefiat, qui ipsum non patiatur in uniuersum exarescere. Et quis sodes eorū, qui & ambitiosissimi & opulentissimi sunt, domum ædificans tanta prouidentia aquæductus disponit, scaturigines illorum tam sufficienti aquarū copia instruit, & fontes ac phialas ad tantam delectationem ædificat, ut summus ille omniū architectus rationalem hanc domum ædificare uolens, ipsam tot ac tantis circumsepserit uasculis, quæ illi ad omnem necessitatem inseruit. Quis item tam peritus faber, qui Zephyri flatibus domum perflari uolens, uentorum uias uel fenestras ita dilatet, quemadmodū sapientissimus ille architectus, Deus, ista disposuit, ut spiritus, qui cordis calore adustus, fumidus & fuliginosus est, corpore egrediatur, purior autem & syncerior ingressus omnes arterias percurrat. Quis item uel

herbas

herbas plantans, uel arbores inferens aquas tanto studio deducit, & plantarū radices tam diligenter irrigat, ut qui uiuam hanc plantam inferuit, & omnem creaturam condidit, arcano quodam modo humani corporis membra per uenas irrigare solet. Nam quod alimētum attinet, nos homines ab inanimatis arboribus nihil differimus. Perinde enim ut his, ita nobis quoq; alimēto opus est. Arbor quippe nisi nutriatur, arescit: & homo fame pressus, similiter omni exhausta humorum copia morti traditur. Quemadmodū igitur arbores, ubi uel ē nubibus demissas pluuias, uel fluuiorū aut fontiuū latices susceperunt, per radices quidem humorem attrahunt, hoc autem & ramos & corticem & medullam enutriunt, qui simul & folia producit, & flore enato fructus tandem ad maturitatem excoquantur: sic & animal hoc cibū quidem ore suscipit, qui illi instar fontis est, canalem autem stomachus refert: at uenter ceu radix quaedam hunc susceptum quasi per scalam quandam ramorū iecinori transmittit: iecur autem non sibi modo necessarium alimentum inde decerpit, sed eiusdem irrigatione omnia corporis membra reficit. Et corpus quidem hoc modo enutritū in pueris crescit, & in longitudinem & latitudinem extenditur, ac breui ad iustæ magnitudinis mensuram peruenit: ubi uero constitutum sibi attigerit litem, tunc quidem augeri desinit, & nutritur solummodo. Tanta diligentia naturæ nostræ Creator omnium prospicit, & non modo format, ue-

THEOD. DE PROVIDENTIA

rumetiam nutriens cōseruat: nec id duntaxat, sed
 & omnem aliam, qua nobis opus est, curam adhi-
 bet. Quare totus hereo & animi dubius sum, quo
 pacto summū illum creatorem meritis laudibus
 celebrare possim. Omnem etenim mentis cogita-
 tionem tanta Prouidentia, quam circa nos gerit,
 uarietas exuperat. Omnis oratio tantæ creationis
 sapientia cedit, nec ulla tam admirabilem corpo-
 rum nostrorum fabricam digne enarrare poterit.
 Sufficiat tamen uel hoc ut Deum conditorem ce-
 lebres. Non terram uersus ut bruta animalia uul-
 tum demittis, nec instar porcorum uentre pronus
 nutas. Suspice saltem, & Dei Prouidentiam cernis-
 to, Solum te ex animalibus erectum condidit, &
 binis pedibus incedere fecit. Sed & crura singula
 non ex uno duntaxat, sed ex tribus uel membris
 uel partibus composuit, & in tres compages uel
 iuncturas colligauit. Et hanc quidem coxendici
 coaptauit, alteram uero genibus cōseruit, tertiam
 talis cōmisit. Præterea compages hæc neruorum
 uinculis ualidissime cōstrinxit, & musculis uolun-
 tarij motus facultatem indidit. Vincula quoq; nec
 laxa nimis fecit, nec nimium intendit: plus æquo
 enim intensa omnem mouendi facultatem impe-
 dirent & eriperent, illa uero luxatas articulorum
 compages dilabi paterentur. Eiusdem ergo Pro-
 uidentia Dei beneficio ingrederis, currisq; quolibet,
 & standi simul sedendiq; libera tibi potestas
 est. Simul tamen hic aliud quoq; huius curæ spec-
 cimen consydera. Ne enim nudæ illi ossium com-

Hominis
statura.

Crura.

pagi insidere coactus aliqua afficereris molestia, Nates.
 sed citra omnē dolorem uel nudo solo uel etiam
 saxo insidere posses, nates uel clunes quasi cogna-
 tum tibi puluinar substrauit. Tu tamen ingratus
 esse pergis, & dona hæc ne sentire quidē uis, quin
 infans & furis contra æternam illam, quæ tam be-
 nigne tibi prouidit, sapientiam. Atqui canis nutri-
 torem suū agnoscit, & præsentem assidet, absentem
 desiderat, redeūti demissis auribus & cauda hinc
 inde uibrata gaudiū suum testatur, obedientiam
 promittit, seruitutem fatetur, & beneficentiam eui
 dētissime prodit: hæc autem facit, cum & ratione
 careat, & sermonis usu destitutus non nisi tempo-
 ris diurnitate ex consuetudine & assiduis bene-
 ficis inter ignorum & norum, interq; amicum &
 hostē discernere didicerit. Tu uero sermonis usu
 instructus, & mente præditus, qua nihil in tota ui-
 sibilium natura interq; uolatilia cuncta uelocius
 est (Sol etenim uno quidem die totius orbis sta-
 dium percurrit, hæc uero uno nutu totū terrarum
 orbem obambulat, & phantasie cursu in cælū ten-
 dit, & hoc ipsum transcendens Deum quoq; quo-
 ad fieri potest, cōspicatur, & infinitas angelorum
 myriades cernit, & archangelorum millia lustrat,
 imò quæ sub terra sunt curiose inquirat, dum ui-
 delicet hæc quoq; superare conatur quidem, sed
 non potest, utpote cum eorum quæ didicimus no-
 titiam Deus phantasie terminū fixerit) hunc (in-
 quam) talem tantumq; ducem, gubernatorem &
 uectorem habens, diuina tamen beneficia nō sen-

THEOD. DE PROVIDENTIA

tis, nec beneficiorum multitudinem confyderas, sed ingritudinis uitio pertinaciter inhæres. Et cum tot tibi magistri adsint, prouidentia tamen elementa discere nõ uis. Caue ergo, ne te profus neglectum ille deserat, & experimento discas quantum interfit inter hominem, qui Prouidentia cura regitur, & eum, quem à Prouidentia sua cura reiecit Dominus.

Spina dor-
L

Denuo igitur adesto, ô Philotes, ad aliã enim te corporis partem traducemus. Dorsi spinam mihi confydera, quæ ubi à sacro osse, quod natibus adiacet, exorta est, ad collum usq; ascēdit, & instar fortis ac ualidae columnæ ex multis uertebis composita, & uentrem, & humeros, & manus, et ceruicem, & caput sustinet. Quoniam enim nihil ossei roboris rerum conditor exteriori uentris parti addidit, ut uidelicet cibo sumpto facilius sese extendere posset & dilatate, atq; sufficienti tumore ad cibos capiendos extolleretur, eundem in posteriori corporis parte dorsi fulcro sustineri uoluit. Huius autem spinã è pluribus ossibus Deus construxit, ut cū homo incuruare sese uult, & facilius inflecteretur, & inflexio eandem nõ infringeret. Alimentum uero huic dorsalis medulla exhibet, cuius origo ex cerebro ducitur. Cæterũ, quid hic de manibus dicere attinet, quarum usum & utilitatem multiuariae artes prædicant. Sed earum mentio in sequenti oratione fiet, unde usum illarum eiusq; expositionem in illam usq; reseruabimus.

Collum.

Hinc ergo ad collum ascēdito, & illius formationem

tionem confydera. Et hic mihi aquæductuum ca-
 stella in mentem reuocabis, quæ ab infima parte
 sursum perforata multis foraminibus patent, unū
 tamen (quod medium est) maximum amplissi-
 mumq; recipiunt, per quod aquarum canales plu-
 rimum quidem aque attrahunt, eandem uero per
 alias & diuersas fistulas distributam emittunt, &
 hanc quidem in Australem ciuitatis partē, illam
 uero Orientē uersus, in Occasum aliam, & aliam
 in Septentrionem transfuehūt. Eundem usum hu-
 mano corpori collum exhibet. Ars enim (ut supra
 diximus) naturam imitari consuevit, & sua illa si-
 gmēta ad huius operum similitudinem effingit.
 Collū quippe ad stomachi os usq; porrectū uen-
 tri cibum potumq; transmittit: habet præterea ar-
 teriam asperam à pulmone ad larynga usq; ascen-
 dentem, & præter hanc uenas quoq; & leues arte-
 rias continet, per quas sanguis simul & spiritus
 affertur cerebro, quod illis nutritum & auctū per
 connexa sibi ossa dorsalem medullā dorso trans-
 mitit, qua tota ossium natura alitur, simulq; ner-
 ui enascuntur firmi, crassi & tenues, lati & rotūdi,
 quorum uinculis articuli ligātur, & muscoli mo-
 tus uim suscipiunt.

Postquam uero ad ipsum caput peruentum est, **Caput.**
 illud arcis instar in summo ciuitatis huius (huma-
 ni nimirum corporis) fastigio situm conspice, in
 quo opulentissimus quoq; hominis thesaurus,
 nempe cerebrum, quasi in munitissimo castro cu-
 stoditur. Cranium enim instar ualli uel galeæ est.

THEOD. DE PROVIDENTIA

Cerebrum.
 Unde & galeam Græci κρᾶν & à cranio denomi-
 nant, eo quod ad huius similitudinē fabricari so-
 leat. Et cranium quidem cerebrū ambiens omne
 extrinsecus illi incidens malum pro uirili arcere
 consuevit. Ne uero cerebrum, quod natura mol-
 lius est & laxius, ab ossibus, quæ dura & solida
 sunt, quassatum læderetur, duabus illis inuoluit
 tunicis rerum opifex, quas membranas medico-
 rum discipuli nominant. Et eam quidem, quæ te-
 nuissima est, quamq; à secundarum seu extimi for-
 nis inuolucris forma Græci χορσίδην dicunt, ipsi
 connatam & propius coniunctam esse uoluit, ut
 hoc firmiter quidem continere posset, interim ues-
 ro summa illa & subtilissima tenuitate non quic-
 quam læderet. Alteram uero densiorem & robu-
 stiore fecit, quæ media inter cerebrū & cranium
 extenditur, ne uel cerebro duriori sua substantia
 noceat, uel ipsa ab ossibus cranij aliquid damni
 accipiat, ipsis mollior existens. Cerebrum ergo in-
 star thesauri (ut diximus) in capite tanquam in ar-
 ce custoditur.

Oculi.

Quandoquidem autem arcis præfecto, menti
 scilicet, speculatoribus quoq; opus erat, simul &
 hos addidit rerum conditor: nec uni solummodo
 speculam istam cōcredidit, sed binos excubitores
 constituit aut uigiles, & hunc quidem ea quæ ad
 sinistram sunt, alterū uero quæ à dextra consistunt
 obseruare & speculari iussit. Quia uero iidem illi
 custodibus simul & pinnis atq; propugnaculis
 ac uallo opus habebant, nec in his constituendis
urbis

urbis huius conditor negligentior uisus est. Sed oculis, quibus uidendi sensus cōmissus erat, pinnarum & propugnaculi loco superciliarū castella imposuit, quibus hi protecti ea quoq; quæ longius distant, tuto prospiciunt. Illis ipsis autem uel pinnis uel propugnaculis tecti loco, quod superne delabentes pluias arceat, tenues quosdam & ad exteriores faciei partes uergentes pilos inseuit, qui à fronte defluentem sudorem excipiant, & inter se diuisum per tempora destillantes hac quoq; molestia uel damno oculos liberent. Porro, cum armatura quoq; muniendi essent illi custodices, palpebrarum tunicis illos induit, illistq; ceu hastilia quædam & tela pilos, quos & cilia uocant, dedit: qui nequaquam ut superciliarū pilī inflexi sunt (ne ex propugnatoribus hostes uel insidiatores reddantur) nec etiam secundū rectam lineam extenduntur (ne in palpebrarū connixione sese inuicem atterant) sed foras nonnihil extenduntur, ut ea quoque quæ ex tenuissimis corporibus damna accidunt oculis, arcerent. Cum enim uentus uehementiori flatu spirans oboritur, non tenuior modo, sed & crassior puluis, tum festuæ etiam, et si quæ sunt alia huiusmodi excitantur, imò culices quoq; & quæcunq; sunt his similia animalcula in oculos inuolant: ubi uero cilia instar palorum & sudium præfixa, conspexerint, retro fugiunt. Similiter spicas quoq; summus ille omnium conditor armauit. Nam tritici uaginis uel folliculis aristas imponens, minorum auium, quæ seminibus

insidiantur, morsum hoc ceu uallo à frugibus prohibet, & his ceu hastarū cuspidibus territas fugat. Sed dices fortassis, ò ingratissime: Quid ergo mihi amplius quàm spicis largitus est? Sed & spicas, ò stupidissime, propter te condidit. Quid ergo ingratulus es, si quæ tua sunt propter te tuis armis munisuit? Tu, ingratissime, frugum semina telluri mandas, ipse autem irrigat, calore fouet, nutrit, munit, custodit, & maturas iam tibi appinat. Tu ubi messe peracta in aream fruges intulisti, & artificiose dissectas à paleis repurgauisti, mola contritas, & à furfure discretas manibus tuis subigis, & in clibano uel fornace excoctis panibus cum uoluptate frueris, & tamen horū largitorem ignoras? Sed ad oculum reuertamur. Huius ergo naturam omnem inspice: uide quot ille tunicis munitus sit: uide quanta sit huius exterior pulchritudo uel forma: uide insuper pupillæ tenuitatem, huic circumfusam Iridem, quam nos *σφαῖρα* ceu coronam nominare solemus: uide item corneum circulum, uueam tunicam, cristallinam sphaeram, quæ huic subiacet, & per medium eius prospicit: præterea qui circa hanc diffusus est, humorem uitreum: sed & alteram illam eiusdem tunicam, quæ à retis piscatorij figurâ Græcis nomen traxit. Inspice item glandulosam eius sedem, cui totus innicitur, & alimentum, quod ex cerebro per tenuissimum uasculum illi exhibetur, & superflui humoris per hircos effluxum.

Sanguis.

Vide præterea in quot colorū species sanguis mutetur.

mutetur. Hic enim primo cibus erat, qui dentium
 ai contritus uentri transmissus est. Hic sibi conco-
 lorem efficiens album reddidit. Eundem autē su-
 scipiens iecur in proprium colorem trāsmutauit.
 Postquam uero sanguinis natura hoc modo ab-
 soluta est, pars huius in cerebrum conscendēs de-
 nuo albecit, & in ossa condensatur, ac in neruos
 densos quidem & firmos, sed flexibiles lentosq;
 conuertitur. Sed idem fortassis fecero, quod ij qui
 arenas numerare conantur, si omnem quæ in cor-
 poribus nostris apparet, Dei prouidentiam expo-
 nere uelim. Ipse igitur priuatim omnes reliquos
 sensus, gustū nempe, olfactum & auditum, men-
 tis contemplatione percurrito. Vt nimirum olfa-
 ctus odores percipiat, et suaues quidem admittat,
 foetidos autē grauesq; repellat, simulq; capitis ex-
 crementa suo ductu eijciat. Cum enim ipse in su-
 periori corporis parte constitutus, omnes ab imo
 ascendentes uapores excipiat, horum autem inun-
 datio præstantissimæ corporis parti, cerebro nem-
 pe, cum primis noxia sit, nec hic etiā negligentior
 fuit rerum conditor: sed meatus quosdam fungo-
 sos & fistulares fabricauit, per quos humida &
 crassa illa excremēta ad palatum naresq; deduxit:
 simulq; duo hisce excernēdi membra designauit,
 quo facilius, quod in his noxium est, efflueret. Va-
 porum uero excremēta & fuliginosa illa sursum
 per cranij suturas efferrī fecit. Sed & auditus po-

Olfactus.

Auditus.

THEOD. DE PROVIDENTIA

nec etiam impletur, tum nec simili ratione omnes excipit: sed acutæ & grauis uocis differentiam nouit, uocis concinna modulatione delectatur, & dissonantem respuit. Huius beneficio diuina oracula percipimus: per eundem omnem humanam scientiam natura tradit: nempe Grammaticã, Rhetoricam, Sophisticam, Arithmeticam, medicinam, mechanicam, & si quæ alia humano ingenio unquam inuenta est. Hunc ipsum auditum nostris hisce uerbis subiice: per hunc pharmacum, quod animam tuam purget, & eandem ab impia illa blasphemia liberet, suscipe. Huic portas impone, rationem: & ianitorẽ adde, Timorem Dei. Tum sermones qui afferuntur, iusto iudicio examina: & pijs quidẽ ianitor fores patefaciat; blasphemos autem, prophanos & Deo aduersos amandet, ac clausis portis fidei robur, ceu infractum uectem, obijciat. Sic enim fieri potest ut hostibus liberentur, & animarum saluti consulant, qui amicos & utiles sermones admittunt, quibus & aures (ut Paulus inquit) non pruriunt, nec eas suauibus quidem, sed rationi noxijs sermonibus præbent: quin potius eorũ quæ dicuntur & fiunt, ueros iustosq; iudices sese constituunt, & non nisi salutares deligunt & utiles: qui deniq; noctesq; diesq; siue deambularent siue sedeant, & quodcunq; uel faciant uel patiantur, Deum (ut propheta inquit) semper coram aspiciunt. Illi sit gloria in æternũ, Amen.

SERMO IIII.

*Demonstratio Prouidentiae ex manibus huma-
nis, & inuentis artibus.*



Ropheticā illam uocem audiui, quæ canit & clamat: Cœli enarrant gloriā Psal. 19.
Dei, opus uero manuum suarum annunciat firmamentum, Atqui uocem istiusmodi, quam spiritus per arteriam ad os delatus, & lingua rationis motu dentibus illisa, labiorum item corrugatio & aeris percussu repercussio edit, nemo unquam hominum terrestrium audiuit cœlitus deferri. Sed dum cœlum oculis nostris expositum, magnitudinem simul & pulchritudinem suam spectandam præbet, & hominibus recti locum & usum exhibet, tacēs quoq; factorem suum prædicat, & omnium linguas ad laudis decantationem inuitat. Et ueluti cum domum aliquam, quæ summo artificio extructa, & solido stabiliq; fundamento innixa, angulis quoq; rectissime coaptata latitudine & lōgitudine altitudineq; iustæ proportioni per omnia respondet, tum fenestris etiam probe & ordine dispositis illustratur, & omnibus ijs quæ ad ædificiorum splendorem faciunt ornata & instructa est, conspiciamus, mox ipsum architectum admiramur, & absentis imaginem animo concipimus, omnemq; proportionis quæ in ædificio cernitur formam, ad illius artem solemus referre: Sic etiam cum cœlum intue-

mur, & utiles illos commodosq; cœlestium syde-
 rum motus, nequaquã hæc adoramus, sed horum
 opificem encomijs & laudibus pro uirili nostra
 uehimus, & ex operũ magnitudine simul & pul-
 chritudine authorem illorum iusta animi cõtem-
 platione æstimamus. Vere enim & merito hæc a-
 nimis nostris uoluimus: Quod si tâta est operum
 magnitudo & præstãtia, quantus est utiq; ipse ope-
 rum conditor? Et si tanta inest rebus conditis ele-
 gantia, quantam sapientissimi illius omniũ crea-
 toris pulchritudinem esse conuenit? Sic (inquam)
 cœli enarrant gloriam Dei, opus uero manuum
 ipsius annunciat firmamentum. Sic dies diei eru-
 ctat uerbum, & nox nocti annunciat scientiam:
 non quidem aliqua uocis emissionem uel linguæ
 loquela, sed mutua illa, qua se inuicem excipiunt,
 successione & uicissitudine, qua hominum utilita-
 ti inseruiunt: qua tam altum quodammodo exclamant,
 ut uniuersum hominũ genus illorum uocem
 exaudiat. Nec enim sunt loquelæ neq; sermo-
 nes, quorũ non exaudiantur uoces. Omnes qui-
 pe gentes & linguæ diei & noctis præconia per-
 ciipiunt. Nam linguæ quidẽ aliquo inter se disci-
 mine differũt, una autem omnium natura eadem
 ex his utilitate fruitur. Vnde idem ille, qui hæc lo-
 cutus est, in alio etiã psalmo Creatorem celebrãs
 dixit: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confor-
 tata est, non potero ad eam. In me ipsum enim (in-
 quit) cõuersus, dum penes me omni externorum
 cura liberatus uersor, propriã me ipsius naturam

contemplari, & rationalem illam animæ potens-
tiam diligentius inspicere uolui, scientias nempe
quarum ipsa capax est, & artes quibus uitam oma-
nem repleuit, quarum etiam beneficio uitam sua-
uiorem & iucundiolem transfigit, tum immensam
illam, quam tum ipsa parit, tum simul capit, uer-
borum copiam, ut denique eadem recondat, & distin-
cte singula custodiat & conseruet, quam facile ua-
numquodque illorum quæ ipsi commissa sunt pro-
suo arbitrio proferat, ut corpus totum dirigat, ut
eadem oculis quidem quantitatis & coloris discer-
nendi iudicium commiserit, linguæ autem humo-
rum discrimina concrediderit, eandemque ceu mi-
nistrum aliquem suorum fortuum (sermonum scilicet)
delegerit, nares item odorum examine dona-
rit, & aures, ut sermones qui extrinsecus aduehun-
tur capiunt, patefecerit, per reliquum autem corpus
tactum extenderit, & ut his quidem sentiendi uim
largiatur, ipsa autem ab iisdem uel doloris uel læ-
titiæ uoluptatis uel affectum percipiat: hæc (inquam)
& quæcunque talia sunt animo uoluens, & horum
omnium, quæ alioqui sibi inuicem contraria pu-
gnant, in unius animalis fabricam concursum ui-
dens, unam cum admirabili illa mortalis & immor-
talis naturæ coniunctione, tanto miraculo uincor,
& contemplationis huius mysterium minus asse-
quens, me uictum confiteor, & sapientiæ Creato-
ris uictoriam prædicans, ipsumque Creatorem cele-
brans exclamo: Mirabilis facta est scientia tua ex
me, confortata est, non potero ad ipsam. Et hæc

quidem uerba nobis in præfenti negotio conueniunt, qui eam quæ in humani corporis membris apparet, sapientiam inspicere quidem conamur, infirmitatem uero nostrâ re ipsa experimur. Non parum tamen emolumenti ex illa quoque obscuriori contemplatione ad nos rediit. Nam in minima corporis particula Dei Prouidentiam clarissime elucentem spectauimus. Quid enim pilis uilius? Quid in cunctis corporis partibus omnis sensus perinde expers est? Nihilominus tamen horum quoque necessarium usum sermo noster ostendit. Testantur hunc supercilia & palpebrarum pili. Testantur eundem, qui caput ornant teguntque, capilli. Quæ enim horum sit utilitas & usus, calui manifeste docent. Primo enim quasi decore suo spoliati erubescunt. Deinde alia quædam uelamenta comminiscuntur, quæ horum usum illis expleant. Et sanè hanc ob causam (ut mihi uidetur) rerum Opifex quorundam capita pilorum uelamento defuitui permisit, ut discamus, quod & horum cura habitata hominem hoc modo formauerit. Sic eos qui uirilem ætatem ingrediuntur, & pueriles annos transferunt, barba exornat, quæ genas aliqua ex parte cum mento inferiori uestit. Et primo quidem lanugine florent malæ: deinde modicum pilorum uelamen easdem tegit, ut augmento hoc ætatis discrimen doceat, & ipsa uultus figura homini persuadeat, ut relictis puerilibus ludis, ad res serias accingatur. Quoniam uero pariendi dolores muliebri sexui ad hanc doctrinam sufficere possunt,

non nisi uirorum genas hoc modo coronauit.

Quod si uero quis ex eorum numero qui non *Verenda.*
aliud q̄ ueritati obstrepere didicerunt, eos hic nobis pilos obijciat, qui in alijs quibusdam corporis partibus enascuntur, is se circa hos quoq; ingrati tudinem suam immerito testari sciat. Naturalibus enim & sponte enatis uelamentis eas partes natura contexit, quas nos manu factis tegumentis uelare studemus. Quapropter ijs, quoru ratio adhuc infirmior inter uirtutem & uitium discernere nequit, hæc pilorum uelamina natura nõ apposuit: eos uero, quibus iam firmior esse incipit rerum cognitio, quib; singulorum membroru usum edocti sunt, bene & honeste hoc uelamento ornauit, quasi tegere uolens eas corporis partes, ob quas homines erubescere consueuerunt. Hunc certe pudoris affectum Adam humani generis conditor in paradiso minime sensit. Erant enim (inquit scriptura) *Gen. 2.* ambo nudi, tam Adã q̄ uxor ipsius, & non erubescabant. Vbi uero legem transgressi delictorum suoru uim senserunt, & Dei uocem auribus percepere, ficus folia consuerunt, & fecerunt sibi ipsis *Gen. 3.* cinctoria. Quamobrem uel in his quoq; corporis partibus Creatoris circa te curam aspice, o amaru lentissime, tam ipsius Creationis quam Prouidentia accusator. In ijs (inquam) quarum mentione tu quidẽ erubescis, Deus autem qui & fecit & condidit, in iisdẽ gloriatur & exultat. Vidit enim (inquit) *Gen. 1.* Deus omnia quaecunq; fecit, & uidens ualde bona, Faciamus (ait) illi adiutorẽ, similem ipsi.

THEOD. DE PROVIDENTIA

Sed & hæc prima est Dei benedictio: Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini super illam.

1. Cor. 12.

Aug.

Quoniam autem oratio ad ea corporis membra, quæ & D. Paulo teste inhonestiora censentur, nescio quo pacto ceu vi quadã delata est, denuo in his ineffabilem Creatoris erga humanũ genus amorem consydera. Oris enim situm (cuius officium est sermoni seruire, cibum excipere, & susceptum uentri transmittere) oculis uicinum constituit: excrementorũ autem secessum, qui uisum ledere, & cibi fastidium parere, ac nauseam mouere posset, non longo duntaxat ab his interuallo distare fecit, sed ex oculorum conspectu omnino remouit, rectum uidelicet intestinum in posteriores corporis partes deflectens, & inter nates meatum aperiens, horum quoq; egestioni naturale quoddam uelamentũ construxit. Quin ergo coram tanto dei erga nos amore erubescis? Ineffabilem eius curã cum tremore suspice, dum hanc ea fabricare uides, quæ te uel nominare pudet, dum (inquam) eandem illam sua Prouidentia curare cernis, quorum mentio tibi pudorem offundit. Cum enim omne illud quod in animali cernitur, mortale sit, & alimẽto (utpote mortale existẽs) opus habeat, necessario utiq; & os & excrementorũ secessum addidit, ac tortuosos intestinorũ orbes ædificauit, qui limosam & feculentam alimenti partem exdperent, non autẽ recto statim ductu egererent, ne euacuationem semper postulante impletionem ciborum

borū usui tempus uacuum nullum daretur, hoc nimirum per egestionem semper interturbato. Et quid hic omnia naturæ miracula dicere attinet? Tempus enim nunc est ad manus transire, quarū mentionem hesternā die prætermittentes earundem usum nos hodie exposituros esse promissimus.

Has ergo inspicite, ut non longius quàm opus est extentæ (ne uidelicet corpus reliquū onere suo aggrauent) nec etiā minori quàm usus postulat spatio contractæ, sed operibus, quorum executio ipsis destinata est, iustam ac conuenientem mensuram sortitæ sunt. Quapropter trifariam quoque illas diuisit rerum conditor. Et primam quidem compagem humeris inseruit, cubito autem brachiū et ulnam coarticulauit, brachiali reliquam ulnæ extremitatem coarticulans, & huic postbrachiale subiungēs quinque hos illi digitos inseruit. Singulos autem horū ex tribus internodijs uel radijs composuit, quorū extremitates alias quidem sinibus excavatas, alias autem sphericas & rotundas fabricans, deinde excavato sinui rotundam alterius extremitatē inserens neruis simul ualidis constrinxit, & circumpositis musculis uoluntarij motus facultatem largius eosdem tenui molliq; cuticula uestiuit, ne digitorum contractioni impedimēto esset durities. Præterea, cum digitorum extremas partes interius molliores fecerit, foris tamen eorū incolumitati & securitati consuluit. Ungues nempe tenues latosq; imposuit, quorum exterior emi

Manus & brachia.

Digitis.

Ungues.

THEOD. DE PROVIDENTIA

nentia rotundior est. Et tenues quidē fecit, ne molliorem illam, quæ in summis digitis est, carnem aggrauent, si onus sint nimium: latos uero, ut in laboribus subeundis reniti possent, dum mollem quæ illis prominet carnem suffulciunt: eminētiās autem eorundem rotundas fecit, hac nimirum figura, ne facile læderentur, munire uolens. Angulos enim in triangulis & quadrangulis tenuium corporum figuris fragiles esse constat. Leonibus equidem, ursis, pardis & alijs feris acutos, crassos, prælongos & ualidos ungues rerum conditor inseruit, ac armatura illas instruxit naturali, eo quæ rationis usu destitutæ non aliquo ab arte excogitato auxilio sibi consulere possunt. Hominē uero, quem rationalem fecit, & mente, quæ pluriū scientiarum & artium inuentrix est, instruxit, naturali armatura destitutū nudumq; creauit, nec ferinos illi ungues tribuit, nec etiam ungulis pedes illius contexit. Quomodo enim, si his armatus esset, per scalas ascenderet? quomodo item tenuiori murorum superficiei insisteret, dum lapides aut lateres contexens domum ædificat? Quomodo etiā unguulis instructus in summis domuum fastigijs tuto stare posset? Nunc autem tenerior illa & in longum extensa pedum substantia & digitorum flexibilitas, homini & motus facilitatē & stationem magis tutam exhibet. Et sanē, cum nudis pedibus homo utitur, expedite super lignū quoq; incedit, & scalis minimis insistere audet, & infinita huius generis multa cum agilitate peragit. Ungularum uero

Pedes.

uero usum aliūde asciscit homo. Ex pecudū enim, quas illius imperio Deus subiecit, genere pelles accipit, & coriaria atq; sutoria artibus ceu cooperarijs utens, in ijs formandis pedū formam & magnitudinem, longitudinem & latitudinem exprimit, & eosdem ita uestit, ut & periculū, quod à duris corporibus inter eundem imminet, arceant, & frigoris uehementiā retundant. Et hanc quidē ob causam rerum conditor soli huic animali manus, ceu organa quaedā rationi seruientia, largitus est. Manibus enim homines arant, & sulcū excindūt, & semina telluri mādant, & sarculū uel ligonem tractantes fossas egerunt, arbores plantant, & ubi falces exacuerunt, nunc ad gemmationē festinantes uites putant, & superfluam palmitū partem auferunt: nunc uero fruges demerunt, & laborū præmia manuum beneficio decerpūt, & manipulos colligunt, & eosdem in areas deferunt, paleasq; à tritico secernunt, manibusq; ceu cooperarijs usi illas quidē ad suos acruos transmittunt, hoc uero in horrea & granaria recondunt. Simul autē iisdem manibus & uindemiam peragunt, & oleas legunt, uinū exprimūt, holerum omniuaria genera plantant, & innumeras fructuum species artis uarietate excogitātes, eas & decerpunt, & his frui cupientibus offerunt. Manuum opera humana

Manuum
usus.

Ars nauis
ca.

THEOD. DE PROVIDENTIA

plures uiatores capiat. Cum enim diuinitus con-
 cesso sapientiæ dono naues fabricandi artem in-
 uenisset, à ferrarijs fabris (quorū artem ante exco-
 gitauerat) securim, ferrā, asciam, & quæcunq; alia
 sunt huius instrumenta accipiens, tum à seniori il-
 lius sorore, agricultura nimirū, arbores infrugife-
 ras mutuans, easdē instrumentis hisce fabrilibus
 excidit: & carinam quidē ceu fundamentū quod-
 dam iaciens, super hanc uero asseres muri instar
 contexens, clauisq; omniā apte compingens, &
 picis pinguedine inungens (huius nimirum præ-
 sidio aquarū influxum arcere studens) marinum
 uehiculum uel currū, nauim uidelicet, construxit.
 Quoniam uero equis & mulis ad currum hunc
 opus erat, eos autem non ferebat fluida aquarum
 substantia, hoc quoq; incommodū nauis gubere-
 nator sapienter admodū sarciiuit, manuum nimirum
 ministerio usus. Nam remonis loco malū ere-
 xit, cui uela instar iugi appendit, & immisissis uen-
 torum flatibus ceu equis aut mulis usus est, quos
 simul tanquā equos Zeuglis dirigere consueuit.
 Porro cū naui habenis quoq; opus esset, clauis uel
 gubernacula has imitātur, quibus arreptis guber-
 nator instar aurigæ alicuius puppi tanquā currus
 circūferentię insidens nauim facili motu hinc in-
 de transfert. Nec secūdis modo uentis spirantibus
 nauim scienter regere, sed & turbulenta uentorū
 procellas dissoluere, & ceu equos indomitos &
 effrenes freno cohibere nouit. Et hæc quidem o-
 mnia manuum ministerio usa hominis mens in-
 stituit.

Zeuglæ iu-
 gi partes
 sunt, quæ à
 iugo propē-
 dētes, hinc
 inde boum
 colla ample-
 xantur.

stituit. Earundem opera nauta remigat, nauclerus nauim gubernat, mercator emptas exponit merces, piscator deniq; omnis artem suam exercet, & nusquã apparentem prædam ingenioso retium contextu uenatur. Sed agedũ è mari tandem in terram descendamus. Tempus enim ad diligentiorẽ & exactam uniuersiusq; artis expositionem non sufficit.

Inspice igitur ut artes mutuuum à se inuicẽ officium & quod singulis utile est, postulent. Aedificatoria enim à ferraria instrumentorũ usum petit. *Artium congnatio.* Hæc autẽ uicissim ab illa domũ accipit. Vtriusq; autem simul agricultura alimentũ ministrat. Sed & hæc ab illis domuum ædificia & alia, quæ ad terræ cultum facere possunt, mutuatur. Quin potius ipsa rerum primordia perpendito, ut nimirũ omnium Conditor necessarios rerum usus homini ostenderit. Vnde enim ferrum & æs, plumbum & stannum inter terræ uiscera scrutari didicit? Quis illi argenti uenas monstrauit? Quis auri feracem terram effodere, & minuta auri ramẽta colligere docuit? Vnde uitri naturã cognouit? Quis illum in arenæ discrimine cognoscendo instituit? Quis præterea docuit, qualis arena igni committenda sit, quo pacto item & quã diu id fieri debeat? Et tamen eam quæ continua quidẽ, sed separabilis est, in continuam & inseparabilem substantiã transmutat. Quo pacto ex hac ignis & spiritus ministerio usus uarias poculorũ formas, nempe phialas, calyces, ampullas, amphoras, suppellectilia deo

niq; plurima, tum et alia uasa ad omnē cibi ac po-
 rus usum idonea, fingere didicit? Constat itaq; qd
 omnium horum cognitionem à conditore suo ac-
 ceperit, & quod rerum opifex tam consyderatio-
 nis potentiam q̄ artium inuentiones humanæ natu-
 ræ inseuerit. Vnde cū magno illo Iob colloquens
 dixit: Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam,
 & uarietatiuā scientiam? Reuera enim & huius
 artis decor diuinæ bonitatis munus est. Et tempo-
 ris quidē diuturnitate contemptū ac uile factū est,
 operisq; uulgaris iam cognitio inuentorum no-
 men uel famā perdidit. Si quis autem singulas hu-
 ius partes diligentius inspicere uelit, hanc quoq;
 artem plurimū admirabitur. Lang enim ubi deon-
 sæ aquis ablutæ & purgatæ sunt, pectūtur primo
 & minutim distrahūtur: deinde quod distractum
 est, denuo in cumulū globūmue colligitur. Quem
 accipiens lanifica, quod in hoc syncerū & purum
 est, & quasi uenis quibusdā & rectum protensis fi-
 bris distinguitur, à reliquis secernit. Alteram uero
 eiusdē partem colligēs stamini subtegmen parat.
 Vbi autē paratas iam lanas mulierū manus acce-
 perunt, tenuissima ex ijs fila ducunt: & hæc primo
 quidē ueluti chordas quasdā ordine in telis exten-
 dunt, & quod subtegmini destinatiū est secernunt,
 radijs autē intermedijs stamen dirimunt, & funis-
 culos, qui illis innexi sunt, alios quidē laxant, al-
 ios uero intendunt, simulq; instrumentis quæ in
 hunc usum fabrefacta sunt, subtegmen propellunt
 & constringunt, omnemq; hoc modo texturā ab-
 soluunt.

Textoria.

soluunt.

soluunt. Quis ergo traditam huic animali sapien-
tiam digne admiretur? Vide enim ut uni et eidem
lanarum colori aut iisdem filis fericis omnis ge-
neris animalium formæ intexantur, & cum his ho-
minum quoque imagines, quorum alij quidē uenan-
tium, alij uero adorantium speciem & habitum repræ-
sentant, tum & arborum formæ, & alia huius ge-
neris infinita. Reuera igitur laudate dominum om-
nes gentes, quas tanta sapientia dignatus est, &
quæ in tantis bonis enuirimini. Quis sodes ma-
rinum piscem lanis tincturam præbere decreuit?
Quis item eius artis inuentor produit, quæ lana-
rum speciem infinitis colorum generibus uestire
solet?

Psal. 116.

Porro ingritudinis uitio laborans, uermiculus Bombyces
los quoque inueniri dices, qui tenuiora quam homines
fila ducere soleant. Sed & hoc ipsum diuinæ erga
te curæ & prospectiois opus est. Ne enim ob mul-
tiuariam artium scientiam animo extollereris, nec
diuitiarum copia iuuenilius exultares, tui curam ge-
rens rerum Opifex per uermiculos docet, hæc ne
quaquam tuæ uirtutis opera, sed diuinæ qua erga
nos uitur beneficentiæ dona esse. Licet uero te hoc
modo erudiat, simul tamen consolatur, ne dum te
ab illis uinci uides grauius æquo doleas: cum uil-
delicet illorum pensa tibi offert, & horum quoque
artifices tuis imperijs subijcit. Tu solus ex omnium
animalium numero urbes cum splendore ædificauisti,
turribus & uallis muniuisti, habitaculorum, cœna-
culorumque elegantes formas extruxisti, & portibus

ipsum mare continenti iunxisti.

Medicina.

Quia uero Deus, qui te mortalem in hac uita condidit, sciuit te morbis quoque exercendum fore (quod enim mortale est, passionibus quoque subiacet) simul & medicam artem te docuit, cuius scientiam morborum incurssionibus opposuit. Hinc morborum, qui non apparent, differentiam nouisse, & pulsuum motu febrium remissiones & intensiones cognoscere, & morbi aduentum, eiusdemque quo maxime feruet uel remittitur tempus diiudicare, & mortis indicia praeuidere: praeterea turbantis uel peccantis materiae speciem deprehendere, & quae hanc expugnare possunt apponere, humidam exiccare, calidam restringere, frigidam concito calore fouere, inundantem & superfluam uel uomitorijs uel expulsijs pharmacis, aut etiam uenarum incisione exhaurire didicisti. Porro quis sermo uel morborum uel remediorum copiam plene explicet? Multa enim sunt corporum naturae uel incolumitati contraria, simul autem plurima & uaria sunt, quibus illa arceri possunt, pharmaca. Multa quippe ars inuenit, quae singulis morbis pugnare solent. Quapropter Creator rerum terram quoque multas herbarum species non ad uescendum modo, sed & eas quae esui inutiles sunt, germinare iussit: quandoquidem non alimento modo, uerum etiam ualeitudinis cura nobis opus est. Et has quidem nos in cibum paramus, illas uero animalia herbiuora depascuntur, alias item medicorum legunt discipuli, & ex illis morbos arcetia pharmaca componunt:

adeo

adeo ut quod comestum pernitiem afferret uel in-
 teritum, pharmacū fiat, quo corporis morbi depel-
 luntur. Quare non est, ut hæc te ad Prouidentie ac-
 cusationē excitent. Singula enim hæc gratorum
 hominū linguas ad gratulationem inuitant. Sed
 perinde mihi facere uideor, quod ij qui in mari
 natant, & undiq; irruentibus fluctuum procellis
 terrā contingere cupiunt: dum uidelicet immen-
 sum sapientia, quæ circa artes uersatur, pelagus
 aggredi ausus, & undiq; accedet. iū argumentor-
 um copiam ceu fluctuum incursum effugere stu-
 dens, ad ipsum finem percurrere, & hunc ceu ma-
 rinum quoddā litus attingere cupio. Quamob-
 rem relictis alijs omnibus ad Grammaticā sermo
 noster transeat, quæ sermoni ipso propinquior est
 reliquis, & homini, qui animal fermocionale est,
 cum primis conuenit.

Hæc itaq; literarum elementa inuenit, eadem
 certo numero circumscriptis, tum coniuncta inui-
 cem in syllabas colligauit: deinde duabus tribus
 ue syllabis compositis uocabulorū lectionem do-
 cuit: tum eadem illa componens & contexens u-
 nam continuamq; orationis consonantiā effecit.
 Huius igitur beneficio innumeri libri ueterū di-
 ctis repleti sunt, quorū hi quidem religionis, ora-
 culorum & cœlestiū rerum mysteria continēt, ali-
 uero reliquas disciplinas explicant. Eadem quoq;
 metrorū uarietate, sententiarū elegantia & compo-
 sitionis concinna structura fabulosas narrationes
 uelans tum aures demulcet, tum p̄ijs quoq; cōtra

Gramma-
 tica:

impietatis alumnos arma ministrat. Eiusdem beneficio absentibus cōuersamur, & qui multorum dierū itinere distamus, atq; immensis mansionum spatijs & interuallis seiungimur, ingeniorū concepta & animorū sententias nobis inuicē ceu per manus transmittimus. Et lingua quidem, quæ primarium orationis organū est, otiosa cessat, sermo ni autem dextra ancillatur, quæ calamo arrepto quod nobis cum amico transigendum erat negotium papiro aut chartæ inscribit, & sermonis uehiculū est non os nec lingua, sed manus, quæ longi temporis usu artem exercuit, & elementorum compositionē seu structuram probe edocta est. Hac de causa tales nobis manus fabricauit rerum Opifex, quas in quinque diuisit digitos, è quibus maiorem reliquis quatuor opposuit. Nec enim possibile fuisset, ut quis omnis generis opera, digitis recto ordine sitis, exequeretur. Nūc uero cum pollicem reliquis oppositū habeamus, & stilū & farculum & ligonem, serram deniq; , asciam, malleum, forcipem & quæcunq; alia sunt artis instrumenta firmiter & expedite tenemus.

Quoniam ergo uidisti ex sermone hoc, quantos circa corporis tui fabricam ex Providentia fructus perceperis, quot item artes & sciencias rerum Conditor non ad uiuendum modo, sed etiam ad bene uiuendū tibi donauerit tāto circa tui curam studio usus, quantam præterea bonorum copiam gratuito effuderit, ut uitam tibi artium usu & exercitio iucundio rem redderet (quoniam nō modo
 necessi

necessitatem sarcuit, sed & ea quæ communem usum excedūt copiose & abundanter undiq; affudit) ingratitude uitiū lingua eiſce, ipsam laudibus instrue, Domino te submitte, & illi supplex esse studeto, quin etiam cum propheta exclamare discis: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, non potero ad eam. Ipsi sit gloria in sæcula, Amen.

S E R M O V.

Demonstratio Prouidentie ab imperio quod hominē in bruta & beluas commissum est.



QUANTA Creatoris & omniū opificis circa nostrā naturam cura sit, uobis utiq; probe perspectum est, o amici & socij, nec ulla uerborū doctrina indigetis. Cum enim beneficiorum fontes illinc assidue percipiatis, largitori horū laudes pro uirili offertis. Quoniam uero nonnullos inuenire licet, qui magna indolētia correpti diuina hæc munerera non sentiūt, sed cum in bonis diuinitus concessis delitiētur, ingratiſſimas tamen contra Creatorem suum uoces eructāt, necessarium omnino fuit, ut oratio nostra mundū hunc omnem celerī cursu percurrēs, & humanam naturā in medium statuens, Dei Prouidentiam in singulis tam mundi q̄ nostræ naturæ partibus euidenter & palam apparere demonstraret. Eadem quoq; simul non

nullarum artiū, quæ humanę mentis industria inuentæ sunt, sapiētiā simul & usum declarauit. Eas uero quas ambitionis & uoluptatis studium inuenit, nempe pictoriā, sculptoriā, aurariam, culinariam & innumera placentarū inuenta, uolens prætermisit: simulq; cum his eas etiam, quarū curiositas modū excedit, astronomicam nimirū, geometricam, arithmeticam & musicam (cuius officium est auditum demulcere & mouere, animæ affectiones pro suo arbitrio mutare, & tristem quidem in lætitiā resoluerē, dissolutā uero fortioerem & uirilem reddere) has, inquam, & quę harū similes sunt, sponte tacuit, dum & nimix uerbo sitatis fugit uitium, & breuitati studet, & auditorū mentibus singularū artiū exactioerem contemplationem permittit. Facillimum enim est, occasione ab ijs quæ diximus accepta, in earū quas omisimus, consyderationē peruenire. Erunt autem fortassis aliqui ex eorum numero, qui cum Deum celebrare nesciant, eundem calumnijs proscindere probe nouerunt, qui Deum artiū inuentionē non soli hominum naturæ & ingenio tradidisse dicent.

Apes. Nam minimū illud (inquiunt) uolucrum genus, apes nimirū, uidere licet, quæ politicæ & sociæ uitæ leges studiosē sectātur, propter imbecillitatem, autē aculeo armatæ per uices & ordines ex aluearibus auolant, & aere traiecto nemoribus, pratis & campis insident, & quod in his lanuginosum ipsisq; ex usu est colligunt, & seipsas onerant, anteriorum uidelicet pedū ministerio, ceu ulnis, hæc sua

sua onera ceruicibus imponentes, deinde sic onu-
 stræ in aluearia reuertuntur. Præterea fauos ædifi-
 cant, nec regula nec gnomone indigentes, & an-
 gulos sibi coæquales omni mathematica scientia
 præstantiores efficiunt. Sed & parietū texturas, &
 mellis interstitia uel septa, tenuia admodū ueluti
 ex filis & membranulis quibusdā contextunt, hu-
 midamq; mellis naturā tenuibus istis, sed crebris
 tabulatis probe cohibētes, hoc modo dulcissimis
 mellis liquoribus uasa replere consueuerunt. Et
 quid unquam (aiunt) huic simile ab humano ge-
 nere, quod in discipulos & doctores distributum
 multo labore & tempore artis cognitionē plene
 correxit, excogitatum esse constat, quale laborio-
 sum illud & honestatis amans apum genus effin-
 xit, quod nec doctorū & discipulorum ordinibus
 distinctū est, nec per lora & ferulas artem didicit,
 sed cognatā sibi & uoluntariam habens tam diffi-
 cilis operis construendi scientiam fauos contextit,
 & nec mēsuris, nec centris, nec angulis indigens,
 uasa sua complet. Vasa (inquam) complet, cum
 nec botros uasq; exprimat, nec ullis frugibus
 noceat, sed tenuiorem duntaxat roris partem hau-
 riens, mellis substantiam ingeniose conficit. Sed
 agedū ex hac ipsa accusatione defensionis argu-
 menta contexamus: facillime enim per seipsam
 dissolui poterit. Apes enim copiosum illum inge-
 niosumq; laborem, & optimū atq; dulcissimū la-
 boris fructū humano generi fruendum offerunt.
 Et tanquā uernæ quidam, quos iusti dominiij lex

THEOD. DE PROVIDENTIA

cogit, domibus suis exeunt, quod illorū operi cō-
 ducit legunt, oneribus ferendis fatagunt, studiose
 ædificant, & mellis quod intulerunt liquori tan-
 quam thesauro signacula & sigilla imprimunt, il-
 lumq; hominibus, ceu regibus suis, instar tributū
 & uectigalis assidue persoluunt. Quid ergo, ô mi-
 ser, calumniaris? & cum uectigale hoc fruaris, hu-
 ius exactorem conuictijs laceras? & qui alienis la-
 boribus uoluptatem tuam adimplet, eorundē lar-
 gitorem ingratissimis hisce peris sermonū iaculis. Nec
 laborū modo fructus ab hisce percipis, sed aliud
 quoq; hinc metis commodū. Primo enim quan-
 ta bona hominibus concordia conferat, & q̄ dul-
 ces illius fructus sint, discis. Politicā enim uitam
 apum examina imitantur. Nec quicquā apud il-
 las priuatū est aut proprium, sed cōmunis opum
 thesaurus, & indiuisa rerum possessio. Non lites
 habent nec fora: nec enim se mutuis afficiunt in-
 iurijs, nec quod plus aut nimium est appetunt: ope-
 ri faciendo assidue incūbunt, unde & fucos à præ-
 sepibus arcent, ceu ignauū pecus, qui cum labora-
 re non possint, otiosi tamen alienos labores deuo-
 rant. Confusam inter multos potestatem & Demo-
 cratiam odio habent, unū ducem obseruant, huic
 parere illis gratissimū est. Et hæc quidem singula
 faciunt simul & patiuntur, cum nec aliorū sermo-
 nes audiant, nec legum uolumina euoluant, nec
 doctorū scholas frequentent. Nec enim aliqua il-
 larum alia sapientior est, nec quæ senior est, iunio-
 re plus nouit aut intelligit. Omnes uero simul ea
quæ

quæ diximus exequuntur, cum non in rationali scientia, sed in naturæ scrinijs à cōmuni omnium Creatore laboriosum illud et honestissimū operis sui faciūdi studiū acceperint. Ad te uero omnium horū omnisq; commodi materia redit. A brutis enim & irrationabilibus tu, qui ratione præditus es, discis otiosam uitam ceu noxiā abominari, uirtutis labores alacri animo persequi, eiusdem thesaurum undiquaq; conquirere, principatū si absit minime ambire, uenientē uero & tuæ fidei concreditum recte & iuste administrare, res tuas uel opes communes æstimare, & earū fruitionem indigentibus permittere. Illis enim, qui uera sapientia præditi naturæ suæ characterem integrū conseruant, innata ratio ad eruditionē & doctrinam sufficit: eos uero, qui hunc corruerunt, uitamq; sequuntur beluinam, rapacem nimirū & sanguinariam, concinna illa & ordinarie instituta brutorum animalium politia uere arguit. Tuæ ergo utilitati uel saluti prospiciens rerū opifex naturalibus hisce priuilegijs brutorū genera ornauit, ut ab ijs quoq; aliquā utilitatem percipere posses. Et huius rei Solomon testis est, qui tibi acclamat dicēs: *Abi* **Prou. 6.**
ad formicā, o piger, & æmulare uias eius. Et proficiscere ad apiculam, & cognosce, ut operaria est, & opus suum ceu honestū facit: cuius labores tam reges quàm priuari ad ualerudinē conseruandam adhibent. Testis est simul cōmunis ille omnium Deus, per prophetā dicens: Turtur & cicada & hi **Iere. 8.**
rundo ac passeret agri cognouerunt tempora ad

THEOD. DE PROVIDENTIA

Esai. 1.

mentis sui : populus autem meus non cognouit iudicia Domini. Et rursus per Esaiam : Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Izraël autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Homines ergo, quos ratione donauit dominus, hæc brutorū animantiū circa res suas administrādas studia accusant. Quā obrem dolore correptus propheta, & hominū ad irrationalem conditionē relapsū Tragicè exagitant clamauit: Homo in honore existens non intellexit. Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quapropter alios quidē hominū lupos, alios uero leones insidiātes, alios canes nutritoribus suis oblatrātes, alios æstro concitas uaccas, alios rursū Serpentes & uiperarū proles, alios aspides quæ auribus suis obturatis incantationes audire nolunt, nominare solent. Et quemadmodū corruptis hominū animis ac moribus ferarū nomina imposuerunt : ita simplices & malitia omni carentes animas laudatorum animalium nominibus ornauerunt. Nam inuenire licet fidei simplicitate ornatā animam, quæ columbæ & turturis nomine appellatur. Quo nomine sponsus quoq; in mystico illo Canticorū libello dignatur ecclesiam. Tum morigeras quoq; & pastoris amantes, oues nominare consueuit. Oues meæ (inquit) uocem meam audiunt, & cognosco oues meas, & cognoscor ab eis. Et rursus : Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animā suam ponit p̄ ouibus. Et alibi: Statuet agnos à dextris, hædos

Psal. 48.

Ioan. 10.

Matt. 25.

hædos autem à sinistris. Simili modo alti uolâtes illos, qui omnibus terrestriû curis liberati, animæ oculum incorruptû habent, & mysticum corpus contingere desyderant, in sacrosanctis euangelijs Aquilarû ornauit nomine. De sanctis enim, qui resurrectionis tēpore in cœlos rapiendi sunt, disserens, tandem infert: Vbicunq; cadauer est, ibi congregantur aquilæ. Constat ergo ex ijs quæ hæcenus dicta sunt, quod rerum conditor tum apibus tum reliquis brutis omnibus, huiusmodi naturalem ingeniorû & operis faciendi industriam propter nos dedit & distribuit, ut nimirû undiquaq; quæ ad nostrâ utilitatem faciunt, percipere possimus. Nam præter hæc aliud quoq; ad nos lucrû redit ab apibus, Scientiarû enim & artium inuentione non iuuenilius gloriari, nec altum sapere, et naturæ nostræ obliuisci, sed Creatorem nostrum agnoscere, & in illum causam bonorû referre discimus. Ne uero ob hæc animis cōsternati toti deijceremur, ut qui bruta animalia artis cōsortia habentes, à brutis nihil differremus, Deus omnē laboriosæ illius mellificationis fructû nobis tradidit, ut simul contumacem nostram ceruicem artis consortio reprimeret, & sociorû seruitio nos consolans dolorem repelleret. Quid ergo doles, ô homo, quod apes hæc tâto artificio perficere cernis? Etenim illarû quidem labor, tuus uero laboris fructus est. Et hæc quidem labores sustinent, tu autem laborum uoluptate frueris.

Quin araneâ tenuia & inuisibilia ferè fila ducit Aranea.

THEOD. DE PROVIDENTIA

cere docuit idem rerū Opifex, ut te quo pacto uos
 lucres capi possent, edoceret. Hæc enim non uer-
 bis aut ratione artem edocta, sed natura magistra
 utens retia contexit. Tu uero rationem tibi fami-
 liarem habens cum exemplar ob oculos positum
 cernis, infinitas retium species parauisti. Atqui fa-
 stum tuum & insolentiam minimū hoc animal-
 culū (quod cum ratione destitutū sit, paradigma-
 tis tamen usum tibi exhibuit) prohibet. Rursum
 uero ex retium uarietate solatium percipis. Ipsum
 enim exemplar uel archetypū unicū est, eiusdem
 uero imitatio infinita & multiplex. Volatilibus
 enim Nophelotheriam struxisti, quā locis arduis
 & utrinq; præruptis infigēs retium aëris colorem
 imitantium dolo auibus uisum quodāmodo suf-
 furatis & eripis. Aucupium aut hoc persecutionis
 timor adiuuat. Excitatae enim, quas captas, auicu-
 læ & undiquaq; in retia cōpulsæ, dum insecutores
 suos metuunt, coram expansa minus exacte per-
 spicere possunt: deinde continuo ordine extensa
 retia contingētes, in laqueos incidunt. Et his qui-
 dem in aerē suspensis auiculas uenari soles. Rur-
 sus autem alia his firmiora magisq; ualida tibi ex-
 cogitata sunt ad eorundem animantiū capturam:
 quæ super terram quidē expandis, foueam uero
 in hunc usum effossam aqua adimpleas, auesq; cis-
 cures retibus imponis, ut suo conspectu simul &
 cantu cognatas suas aut contribules auiculas alli-
 ciant. Deinde ubi illæ aquā conspiciunt, altera aut
 illa cantillans auditur & uiderur, illæ quidem ad-
 uolant,

Aucupia.

uolant, tu uero arte usus intra retium plagas pertractas comprehendis. Alia item ad quadrupedes quoque captandas inuenta est machina. Laqueis enim, podagris & pedicis cerui capiuntur. Apris autem, capreis & leporibus extenduntur casses. Barathra item uel foueae & aliae huius generis machinae immanissimis feris strui consueuerunt. Nec tamen uolatiliu & terrestriu genera tibi ad praedam sufficiunt: sed marina quoque animalia audacter aggrederis, & Cyrtos, panagra, uerricula, sagenas et si quae alia sunt huius generis instrumenta contentens natatiliu genus persequeris, atque eos quos natura sub aquis uitam transfigere fecit, tu artis opera in altu aerem subducis, & uenaris aquarum aluminos, cumque ipse terrestris sis, eos tamen ad te pertractos capis, quibus domiciliu maris profunditas exhibet. Atqui innumera piscium genera tibi fruenda proponuntur, piscatoria nimiru arte horum usum tibi offerente. Non igitur est, quod araneam tenuium filorum textricem molestius feras: hinc enim illud lucri percipis, ne animo efferaris, sed communem omnium opificem laudibus celebres. Rursus autem solatio hoc tibi est, cum araneam quidem culices & muscas aliaque huius generis animalcula uenari, tua autem industria uelocissimas aues uinci, & aquatile illud natantiu genus tuis machinis cedere, & pedestria animalia tuis legibus subijci cernis. Non igitur dolendu est tibi, quod alis destitutus sis: sapientiae enim donum nactus es, quae alatas uolucres tibi potest subijcere. Sed &

THEOD. DE PROVIDENTIA

mentem cunctis uolatilibus, imò & ipsis uentis uelociorē possides. Pro tuo enim nutu quocunq; uolueris penetrat, & licet corporis carcere clausa detineatur, & terræ alligata sit, cœlum tamen obambulat, & quæcunq; in cœlo pulchra sunt, sed & ipsum cœlū transcendit, & quæcunq; cœlo sublimiora sunt, animi imaginatione complectitur: tum orbem terrarū uniuersum lustrat, cum plurimis gentibus conuersatur, & cum amicis qui procul absunt, colloquitur. Quid ergo uisibilia alarum inopia doles & tristaris, qui tales mentis & intellectus alas possides, quæ uolatilia tam facile superant? Corpus quidem alarū tibi deest, aues autem aerias sapientiæ uiribus assequeris.

Iumenta.

Eiusdem sapientiæ auxilio usus taurum robore & cornibus armatū sub iugū mittis, seruire cogis, & assiduis laboribus subiectum exeres: ut nimirum terrā aratro scindat, currum trahat, & quæ alijs iumentis intolerabilia sunt onera trāsuehat, tum ædificantiū quoq; suam afferat materiam. Et tu quidē iubes, ille autem iugū subit, & hoc se astringi patitur, cornū usus obliuiscitur, tuamq; uocem pertimescit, & quantū inter tuum & ipsius robur discrimen sit, non nouit, sed animali se multum infirmiori seruire sustinet. In tantū humani ingenij ratio corporis uiribus præstātor est. Hæc asinum, mulū & camelum onera uehere iubet, & singuli horum cum iubentur, subsidendo sese submitunt, rursus uero iussi & onerati surgunt: præterea cum longis itinibus fessi sunt, lædentes se patiuntur,

patiuntur, grauantibus se parent, & fame afflicti
 possessoribus suis non occlamant. Qui enim ser-
 uuitis limites uel leges sint, natura magistra didi-
 cerunt. Hanc itaq; ob causam sola dominorū uox
 animalium fortissima terret. Tu uero totius natu-
 ræ dominum contemnis, & cum ex brutorū ima-
 gine tui commodi adeoq; salutis occasionem per-
 cipias, tamen nec domino subiici, & illi supplex
 fieri dignaris, nec uirtutis onera decenter sustines
 (hæc enim Dominus tibi ferenda imposuit) sed
 calcitras, & tyrannidē spiras, & iugū instar indo-
 miti uituli fugis, nec frenū pateris, sed hoc etiam
 contracto fuga emicas, & per præcipitia ruens in-
 natum tibi aurigam & rectorem distrahis & lace-
 ras. Quotquot uero honestissimā hanc seruitutem
 amauerunt, & herili hoc amore, feruido & gene-
 roso, uulnerati sunt, plurimum utilitatis ab ipsis
 quoq; brutis animantibus perceperunt. Quapro-
 pter in Psalmis per unius uocem omnes illi excla-
 mant: Iumentum factus sum apud te, & ego sem Psal. 72.
 per tecum. Iumēto enim, quod ab alio regitur (in-
 quit) similis te sequor, minime curiosus in quam
 me uiam perducas, nec etiam q̄ illa uel breuis uel
 longa uel laboriosa sit, curiosus percunctor, nec
 illius angustias, arduum ascensum & præcipitia
 iniquius fero. Nam mihi à meipso persuasum est,
 te cum bonus sis, uix quoq; ducem fore optimū.
 Idcirco in alijs quidem omnibus inquisitor quis-
 piam & rationalis rerū iudex sum, & quod opus
 est dijudicare noui, tum quod aduersum mihi no

THEOD. DE PROVIDENTIA

cet, palam effugere scio: cum uero tu ducis, rationis iudicio longum ualere dicens iumentum morigeram & obedientem naturam imitor, & qui alijs rationalis sum, instar iumentum coram te confisto. Quapropter à tua conuersatione non separor, sed semper tecum sum: quoniam tuis uestigijs insisto, freno obsequor, & utcumq; duxeris me, duci patior, siue per planam, siue per asperam, siue per angustam, siue per latam uiam me uelis ingredi. Tuæ enim sapientiæ cõfido, bonitati credo. Quodcumq; enim tu uolueris, id ipsum reuera & honestum & bonum esse noui. Tantam (inquam) ex brutis quoq; utilitatem capiunt, qui illam percipere uel lucrari nouerunt. Tu itaq; cum animalium genera tibi parere uideas, illi parere stude, qui hæc tuo imperio subiecta tibi seruire fecit.

Equi. Idem ille equorum armenta tibi subdidit, & cum ferocientem equum nactus es, qui sessorem admittere nondum nouit, mox arte domitum commodiorem reddis, audaciam eximis, saltuum insolentiam reprimis, & sublime illud & arrogans collum instar arcus deflectis, ut facies terram uersus despicat: præterea gressus numerum ac modum pedumq; concinnam transpositionem & currendi cum opus est celeritatem edoces, eum deniq; qui armentis assuetus fuerat, cicurum reddis, & ut manus tuæ imperium ferat, uociq; obtemperet, persuades. Hinc est, quod flagelli ictus patitur, qui & robore & celeritate te multum superat. Minas tuas fert & metuit, & his ipsis quæ facit, seruitutem fatetur. Idem uenante

uenante te tecum uenatur, pugnātem te adiuuat,
 & in hostes non sine ruina & procella fertur. Vbi
 uero fuga tibi consulere uolueris, mox & ipse ti-
 more percussus audaces animos ponit, conuersus
 fugam arripit, teq; ingenti cursus celeritate è per-
 sequentiū manibus liberat. Præterea, si uel contra
 hostilis aciei frontem ruere iubeatur, immorige-
 rum se nequaquā exhibet, nec etiam si fugam illi
 iniungas quicquam obloquitur, sed in sefforis sui
 legem unicum agnoscit salutis terminum,

Porro quid equum, asinū & camelum comme- Elephas.
 moro? Iam enim et Elephas, terrestriū animalium
 longe maximū, qui promuscidis uiribus ingētes
 quoq; arbores radicitus euellere potest, tibi pare-
 re dignatur, nec robur suum quantū sit expendit,
 nec uires animo consyderat, nec uastam hanc &
 immanem corporis molem perspicit, qua colles
 etiam imitari uidetur, sed tuum imperiū uolens su-
 stinet. Et tu quidē (te siquidem naturam uoco) in-
 fidens agenda præcipis, ille uero quod iussisti exe-
 quitur: ac si spectaculi mercedem à spectatori-
 bus acceperit, eandem tibi promuscide forcipis loco
 utens porrigit. Idem belligeranti suum auxilium
 præstat, & humeris ac tergo plurimos sagittarios
 suscipiens facit, ut hostes quasi è turri aliqua sagit-
 tis petere liceat, & eorundem phalāges aggressus
 eas facile terret ac perrumpit, armatosq; dissipat.
 Non igitur doleat tibi quod corpore paruo præ-
 ditus es, quin porius quanta huic animalia serui-
 re dignentur consydera, eumq; qui hæc tuo im-

THEOD. DE PROVIDENTIA

perio subiecit alacri et prompto animo celebra, a
 per hoc ipsum gratitudinē tuo factori testare. Ani
 mæ enim tuæ saluti prospiciens, nequaquam ma
 gno uastōq; corpore te onerare uoluit: ne uideli
 cet utraq; parte præstātor existens in diabolicam
 insolentiam prolabereris. Cum enim paruo hoc
 corpusculo præditus insanire & cōtra Creatorem
 tuum furere soleas, quid non facturussesses, si &
 hoc uastum & magnū accepisses? Nunc uero par
 ua hæc & mediocris statura te sapere & factorem
 agnoscere docet: ratio autē diuinitus concessa cor
 poris exilitatem solatur. Per hanc enim omnē bru
 torum animalium naturam ducis & regis, nempe
 ouium, caprarū & porcorum greges, equorum ar
 menta, camelos pascentes simul & onerarios, &
 mixtā uel auium uel malorū naturam. Quorum
 alia quidē in escam tibi proposita sunt, mensamq;
 tibi lautiorē reddunt, ac omniuariam uoluptatem
 exhibent, dum uarijs edulijs materiā suppeditant:
 alia uero frumētis & lignis uehendis destinātur,
 & aliorum quæ necessaria sunt, usum explent.

Canes.

Inter canes equidem alij uenantibus auxilium
 ferunt, alij simul pascunt, alijq; domus custodiam
 seruant, & horum uigilijs confisi pastores somno
 securo fruuntur, ac h̄isdem auxiliaribus usi paucio
 res multis ouibus pascendis sufficiunt. Nec enim
 pro dominis modo, uerum etiā pro ipsis ouibus
 periclitari solent, & pro pastoribus pugnant, &
 cum lupis fortiter dimicant, imò nec uulnerati e
 uiam ignaua fuga sibi consulere uolunt: quin po
 tius

tius latratu pastores in auxiliū uocant. Et hæc canis facit, non ratione aut sermone magistro utēs, sed hoc ceu naturali priuilegio præditus. Idem feram inuestigare à uenatore iussus odores percipit, & his ceu uestigijs quibusdā studiose insistens, non ante desistit, quā feram inuenerit. Inuentam uero dentibus & unguibus constringit, nec captam deuorat, sed integram ei, à quo emissus est, conseruat: atque licet ratione destitutus sit, dominiū tamen agnoscit, nec in captæ feræ participatū se cum domino suo ingerere conatur. Quod si uero maiorem feram inuenerit, quæ illius uires longe superat, utpote aprum aut ursum aut aliam huiusmodi, exertorum dentiū ictus studiose cauet, pugnat autem fortissime: atque dorso assidue inhiās feram tuto comprehendere tentat, & uehementi sua dimicatione fugiendi copiam feræ non permittit. Hanc enim assiduo incursu circumquaque fatigans & in orbem exercens in uno & eodem loco permanere, & uenatoris aduentum expectare cogit. Hic tandem superueniens arte fabricatorū armorum auxilio usus feram celeriter & facile comprehendit.

Neque hic mihi aliquis ex imperitorum & simplicium numero rabiosos canes, & calcitrātes asinos, uel mordaces camelos taurosque cornupetas in medium productos obijciat. Paucissimi enim è tanto numero hisce uitijs laborant, & nec id quidem sine magna aliqua necessitate fieri cōsuevit. Hoc enim argumento intelligere licet, quod hœ

rum natura, non uoluntaria per se, sed Creatoris sui nutibus obtemperās tibi subiacet. Et quæ tuo imperio repugnant, utpote camelus mordax, cornupeta taurus, & quæcunq; alia his similia sunt, manifestissimū eius rei testimonium exhibent. Similiter enim omnia illa tuum dominium effugerent, nisi diuina lege impedirentur. Vnde illorū rebellio iusti ordinis & legitimæ constitutionis author est, & horum saltus insolentiores tuos illos saltus compescunt, tuq; illorū exercitatus ferocia & tyrannide, tyrānidem uitare, & dominū tuum agnoscere discis.

Fera. Eandem ob causam feras quoq; & belluas atq; serpentū genera rerum Opifex condidit, ut tuum illum iuueniliter insolescentem, & audacem animum ad uirtutem erudiret, ac ferarum terrore te diuini auxiliij indigum faceret. Horū enim timor ac metus tibi imminens, teq; assiduo dolore pungens ac stimulans ad preces excitare solet, & auxiliatoris opem atq; auxiliū implorare cogit. Cum uero auxilium petere iubet necessitas, eum quoq; colere & obseruare satagis, qui auxilium ferre potest, & eidē assidere cogeris, ut insidiantū damna effugias: tum animo in altū respiciens principem quæris, ab ijs quæ lædunt, liberari cupiens. Vnde timor hic tibi ducis loco est, quo ducere ad Deum peruenis. Ne uero indefinenter & assidue hoc timore perculsus uitā tristitia & doloribus plenam ageres, eadem hæc longiori abs te spatio remouit. Venenata enim antris quibusdam abscondit, & in

in subterraneis cauernis uitam trāfigere iussit, nequaquam illis liberum faciens, ut audacter & omni metu posito homines inuadant, sed semper occultari & raro admodum cōparere, uisaq; hominum conspectū (utpote dominorum suorum) fugere uoluit, legemq; hanc illis statuit, ut paucissimos, & non nisi raro lædant, idq; dum non ipsa pugnam primo exordiuntur, sed lacestia contra hostes sese defendunt. Nec enim aliquis horū timor unquam nos affecisset, si illorū uires humana natura nunquā fuisset experta. Quadrupedum uero generi syluas & cautes & antris plena loca, ab hominū consuetudine remotissima, summus ille omnium gubernator ad inhabitandū decreuit. Ad partem uero certū illis tempus distribuit, noctem uidelicet. Posuisti enim (inquit scriptura) **Psal. 103.** tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes feræ syluestres: catuli leonū rugientes ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est Sol, & cōgregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exhibet homo ad opus suū, & ad operationem suam usq; ad uesperam. Deinde hanc Dei dispensationem admiratus propheta exclamauit: Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia fecisti in sapientia.

Quod uero post peccati quoq; ingressum, cum hæc hominū imperiū reiecissent, denuo subiecta sint & seruitutem subierint, Adam humani generis conditor abunde testatur, qui omnibus nomina indidit, nec timore illorū perculsus, nec fugam

arripiens, nec aliquo ab illis nocumento lesus est. Testatur idem secundus ille hominum conditor, totius humani generis scintilla aut fomes, beatus scilicet Noe, qui non minium modo, uerumetiam ferocissimorū animalium pastor in arca fuit, & per integrum anni spatium tam hæc quàm illa uno in loco pascēs carniuora herbarū pabulo uesci coegit. Testatur idipsum saluus & integer custoditus mundorum animantium numerus. Testimoniū quoque nobis fert magnus ille Daniel, qui leonibus esca aut cœna appositus, ipsos uirtutis fulgore perterruit, & diuinæ imaginis caractere percussit. Postquam enim in imagine archetypi exemplū ualde syncerū & integrū conspexere, seruitutis ius confessi sunt, & ferociam omnem deposuerunt, Adamum illum se uidere putantes, qui ante peccatum nomina ipsis imposuerat. Simile item Paulo apostolo contigit. Cum enim hic lignorū fasciculum accensæ pyræ alimenti loco inferret, & aeris rigorem ignis auxilio temperaret, in lignis delitescēs uipera ignem quidē, utpote sibi noxiū, fugit, apostoli uero manū corripuit tanquam illum uictura, à quo perdenda fuerat: ubi uero leuem mollemque peccati naturā non inuenit, quin potius in fortem & infractam uirtutis armaturā impegit, illico resiliit instar iaculi, quod in solidū quippiā emissum ad eiaculantem resilire solet, in pyram autē ardentem abiit, quasi temeritatis pœnā à seipsa exigens, quod uidelicet domini sui manū furore suo impetisset. Feræ ergo loris, ferulis & pædagogicis disciplinis

sc̄iplinis similes uidentur. Hę enim ab ijs qui iam perfecti sunt, & puerilem ætatem transierunt, facile contemnuntur: ijs uero qui mente adhuc paruuli sunt, cum primis necessarię & utiles existunt. Et quemadmodũ iusto (iuxta D. apostoli sententiã) non est Lex posita, iniustis uero & immorigeris, 1. Tim. 1. impijs & peccatoribus, impuris & prophanis, paricidis & horũ similibus: ira ferę instar disciplinę alicuius hominibus imposita sunt, quę eos quidem qui ad peccandũ proni sunt, timore percellit & territat, à uirtutis autem alumnis tanquã ludus quispiam contemnitur.

Quapropter cũ hinc quoq; Dei erga te curam deprehenderis, & omniuariam eius prouidẽtiã cognoris, desine tandem, ò amice, calumniari, & laudes dignas benefactori persoluito. Quomodo enim non absurdũ fuerit, literatorem quidem, qui ad tempus pueros cędit, & ferula ignauię torporem excutiẽs loris firmam literarũ memoriã infigit, collaudare, & medico gratias agere, non modo cum cibum potumq; laboranti prębet, uerumeriam cum secat, urit, & morbo sese hostiliter opponit, ne ille auctus ulterius serpat prohibens: Deum uero, qui longe uberiori sapientiã & diligentiori cura animarũ saluti prospicit, & bonorũ largitione flagrorũq; metu uirtutis elementa nos edocet, ac malitię morbum radicitus euellit, solidamq; animę salutem operatur, blasphemijs ac conuitijs proscindere? Prohibe ergo linguã tuam Psal. 33. à malo, & labia tua ne loquantur blasphemiam.

THEOD. DE PROVIDENTIA

Diuerte à malo, & fac bonum : curam quam de te
habet inspice, & eum qui sua prouidentia tibi pro
spicit, collauda, ut tuam circa gratuita sua benefi-
cia gratitudinem conspicatus, & nunc beneficijs
te plene affundat, & promissis bonis dignum iu-
dicer: quæ utinam & nos consequamur in Chri-
sto Iesu domino nostro, cui sit gloria in æternum,
Amen.

SERMO VI.

*Quod diuitia & paupertas humanae uitæ
uiles sint.*

Pfal. 74.



AEPE quidem iam cum propheta
iniquis dixi : Nolite inique agere : &
delinquentibus, Nolite exaltare cor-
nu, nolite extollere in altū cornu ue-
strum, & nolite loqui aduersus Deū iniquitatem,
dum uidelicet mūdum hunc quem ille condidit,
omni gubernatore destitutum ab ipso deseri dici-
tis. Sed ingratos hosce nec Cœli persuadere pos-
sunt, qui Dei gloriam annūciant, nec Sol, qui ceu
sponsus è thalamo suo egreditur, & ad terminos
suos splendore simul atq; calore penetrat : nec Lu-
na, quæ alternis suis figuris radiat, & tēporis spa-
tia metitur: nec stellarum ortus & occasus, quæ &
nauigantibus itineris duces sunt, & agricolas ad
messē & sementem faciendam excitant: nō (in
quam) mouent hos anni partium uicissitudines,

Pfal. 18.

non

non solstitiorum mutationes, non tempestiui & alterni nubium partus, non terræ marisque concordia, non fluuiorum fluxus, non fontium latices, non fructuum uberrimus prouentus, non animalium uarietas & cōmodus usus, non rationi conueniens corporis huius fabrica, non animæ immortalitas & sapientia corpus totum gubernans, non artes uariæ simul & infinitæ, quæ nõ necessaria modo, sed & ea quæ à communi usu longius remota & alieniora sunt, suppeditāt, nec ulla alia munera, quæcunq; magnificus ille largitor hominum generi quotidie confert. Sed cum omnibus hisce fruuntur, furiunt tamen & insaniūt, & sedulam hanc assiduamq; Dei curam negligentię titulo infamant, & diuitias ac paupertatem nobis obñciēdo uitæ inæqualitatem accusant. Agedum ergo summum illum Dominū, nauis huius (mūdi uidelicet) sapientissimū gubernatorem in sermonis auxilium assumentes obiectionibus & argumentis illorum obuiam ibimus, & oppositas nobis rationes dissoluemus, tum accusationem, quæ ab ipsis contexta est, aranæ telam esse demonstrabimus.

Cur (inquiunt) qui homini pessimi sunt, diuitijs abundant, & infinitis undiq; bonis affluunt, secundis uentis uitæ huius nauigationem absolunt, & diuitiarū abundantiam iniquitatis uaticum recipiunt? (Diuitiarū quippe affluentia auaritiæ faci materiam ministrat, & malitia, si opes adiutrices naēta fuerit, ingentem flammam incēdit,

dumq; uoluntati uires accedunt, malitiã reddunt intolerabilem.) Virtutis autẽ cultores in paupertate uiuunt, ærumnis misere iactantur, necessariarum quoq; penuria laborant, squalent, sordent, in terram deprimuntur, aliorum petulantia subiacent, conuitijs lacerantur, & infinitas molestias sustinent.

Diuitiæ nō
sunt summū
bonum.

Quapropter, hoc primo illos interrogabimus, quem nam fœlicitatis finem ipsi statuunt. Quod si diuitias dixerint, mox mendacium illorū arguemus. Quo pacto enim fœlicitatis author erit diuitiarum thesaurus, qui, ut ipsi aiunt, iniquitatis cooperarius est? Si enim propter hunc mali supercilia attollunt, buccas inflant, & equis ac curribus uecti forum superbe ingrediuntur, in tantū alios præ se contemnentes, quantum illos ex alto desp̄cere contigit: si deniq; propter hunc inique agūt, defraudant, aliena sibi uendicant, ad se non pertinentia concupiscūt, in aliorum bonis uoluptuantur, ex pauperum ærumnis negotiantur: & hæc omnia diuitiarum ope & auxilio usi faciunt, quo pacto fœlicitatis finem & beatitudinis materiam diuitias esse dicemus? Quod si uero Virtutem bonorum pulcherrimū optimumq; dixerint, & huius amatorem flagrantissimum atq; cultorem diligentem in summo bonorum fastigio cōstitutum esse fatentur, cur diuitias admirātur, & diuites beatos nominant. Nam ex diametro inter se pugnant opum abundantia, & uirtutis egregie gestorum supellex.

Porro

Virtutes
quæ sint.

Porro communē hic quæstionem excutientes, auxiliante nobis ueritatis luce, inquiramus quoniam nam sint uirtutis species, & quo pacto illarū possessio alicui facile contingere possit. Quapropter uirtutis nomine definimus, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, Iustitiam, & quæ ex his naturæ sunt, aut in his continētur philosophiæ partes. Inquiramus igitur quid nam singula hæc significant, quis item illorū sensus, quæ sit interpretatio aut uis. Prudentia sanè est rationis qua præditi sumus uigilantia: quemadmodū uidelicet desipientia, item imprudentia eiusdem est ebrietas, quæ ex affectibus genita & quasi in nubem quandā condensata rationem obscurat, eamq; quod illi opus est uidere nō permittit. Unde eiusdem sanitas prudentia nominari consueuit. Temperantiam uero ab affectibus liberam rationis constitutionem dicimus. Cum enim huius sensus saluus & integer est, affectus quidem remissi languescūt, diffuunt & dissipātur, ac quod in illis feruore tumet dissoluitur, mens autem hominis gubernatrix conueniēter equis suis inuehitur. Iustā ergo affectuum constitutionem & gubernatricis mentis uel rationis incolumitatem, Temperantiā uocamus. Fortitudinem uero dicimus iustum illum indignationis aut iræ motum: quemadmodū è contra eiusdem motus, si iniustus & inordinatus fuerit, audacia dicitur. Iustitiam autem legitimum rectumq; animæ imperiū & conuenientem affectuum, qui huius subiecti sunt, constitutionem appellamus.

Prudentia.

Temperantia.

Fortitudo.

Iustitia.

Concupiscētiæ enim & animositatis uel iræ cum
 ratione cōsensus, & mutuū iustumq; inter hæc
 temperamentū, iustitię thesaurum uel opes nobis
 perficiūt. Quoniam igitur, quæ nam uirtutis par-
 tes sint, quis item singularum sensus sit aut uis, di-
 dicimus, agedum nunc illud quoq; excutiamus,
 qua ratione aut uia, si quis uolet, has recte assequi
 possit, si uel diuitijs utatur cooperarijs, uel etiam
 paupertatem sibi auxiliantem habeat. Atqui diui-
 tiæ quidem, quæ multas turbas & curas habent
 omniuarias, tum infinitas quoq; fluctuū & tem-
 pestatū species, uirtutis insidiatrices & hostes sunt,
 non auxiliares socij. Quomodo enim temperan-
 tiam consequatur, qui uentri assidue inseruit, &
 comotationibus intabescit, & conuiuia instruit,
 lectis item & mensis occupatus pistores, popina-
 tores, fartores & cupediarios, uina odorata, phia-
 las, calyces, & uaria poculorum genera, & obso-
 niorum uarios apparatus animo suo circumfert,
 merum auide bibit, uentremq; plus q̄ natura ferre
 possit, onerat. Qui deniq; rationis uigilantiam ex-
 tinguit, affectuum uero pyrā hac materia magis
 incendit, atq; immodicum & intemperans uolu-
 ptatis studium q̄ maxime inflāmans iram per ea,
 quæ illius feruori seruiunt, exacuit, & rationē ho-
 minis gubernatricem affectuum seruitio subijcit,
 eamq; quæ domina facta est, uentris famulā red-
 dit: qui diuinitus collatam homini potestatem &
 imperium ad cupiditatū mancipia detrahit, prin-
 cipem subditis captiuum tradit, aurigam equis
 distrahen

Diuitiæ uir-
 tutis ho-
 stes.

distrahendum propinat: qui item facit, ut gubernator clauum non amplius tenere, nec nauim totam regere possit, sed affectuum procellis, quæ nauim per præceps abripiunt, & fluctibus mergūt, permittat? Qui equidem talis fuerit, non prudentiæ modo expers, uerum etiam omniuarijs intemperantiæ uitijs addictus est. De iustitia uero quid hic dicere attinet, cum & ipsi aduersarij fateantur, eum qui ut multa possideat concupiscit, iniusti & iusti discrimen non uelle agnoscere? Qui enim tales sunt, ijs inordinata, infinita & indiscreta sunt omnia. Quod ergo qui diuitiarum auxilio utuntur, uirtutem difficulter consequi possint, uel contentiosissimis quibusuis ex ijs quæ modo dicta sunt, perdiscere licet. Paupertatē uero philosophicoadiutricem esse, & non alium, præter hanc, perfectam uirtutem sceleriter consequi posse, mox discemus.

Primo enim necessariorū penuria affectus rationi subijci cogit, & illos nec intumescere, nec menti gubernatrici & domine recalcitrare permittit, quod delicatis & uentri seruientibus plerumque contingit. Deinde anima, cum superfluis liberata oneribus, & à curis externis expedita quiete & tranquillitate summa fruitur, in seipsam respiciēs propriam suam dignitatem contemplatur, & subditum sibi affectuum seruitutē agnoscit, tum etiam imperium tenens subditis moderationis & ordinis leges præscribit, & utriusque (tam iræ quàm cupiditatis) rebellionem alternis earundem uicibus pu-

Paupertas
uirtutis co-
adiutrix.

nit & reprimit. Et nunc quidem iræ affectu intumescente concupiscentiam excitat, & illius uehementiam huius mollitia dissoluit: nunc uero mutato & translato puniendi officio, iræ affectu aduersus hanc utitur, & iræ flagello concupiscentiæ uehementiorem motum coerces. Rursus autem labores quoque rationi ad affectuū moderationem subseruiunt. Inopiæ enim necessitas ad laborū studia excitat, & necessariorū penuria labores exhibet: laborum uero miseria affectus tabefaciens, & materiam illorū consumens, eos intumescere non permittit. Quid ergo ingratus esse pergis, cū paupertatem iustis coniunctam esse uides, & uirtutis organū cōuitijs laceras? perinde faciens ac si quis thronos & gradus & lectos, ianuas item & omnem ædificiorū elegantiam collaudet, fabri autem uel architecti instrumenta uituperet, & securi, teretibus alijsque, quorū opera omnis illa structura conficitur, conuitia ingerat.

Porro quod uirtus per paupertatem facilius quam per diuitias acquiri & comparari possit, ipsi etiam pietatis alumni testantur. Testantur idem quotquot apud Græcos sapientiæ cultores fuerunt, & naturæ lege magistra usi sunt. Per paupertatem enim omnes isti moralem uirtutem cōparauerunt, idque cū diuina oracula non audierint, quæ palam clamant: Si quis non renūciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ad doctrinam tamen & eruditionem natura ipsis suffecit. Diuina quippe Lex non nouas traditiones affert, sed

sed naturę leges in memoriam reuocat, & naturę scripturas, quas temporis diuturnitas hominũ negligentia corrumpit, naturę conditor per præcones suos rescribit. Cum ergo Socrates, Diogenes, Anaxarchus, & qui horum fuerũt similes, moralis uirtutis desyderio moti opes suas quas possidebant, reiecerint, & paupertate ad præstantissimam uirtutis possessionem coadiutrice usi sint, idq; cum circa ueritatem doctrinę cæci fuerint, & regnum cœlorum non expectarint, nec ueri illius & summi boni tenuerint notitiam, cur tu paupertatem accusas, ô Philotes, per quam uirtutis cursus facilis, & aspera illa ac ardua uia executoribus suis expedita & leuis redditur?

Hęc autem dicimus non quod diuitias accusamus, uel malum malo repellere studeamus (si enim diuitiæ per se malæ dicantur, blasphemia hęc in illarum largitorem redudat) sed diuitias simul & paupertatem tanquam materiam quandã uel instrumenta à rerũ opifice nobis proposita & oblata esse dicimus: homines uero ceu fabros quosdam per hęc aut uirtutis simulachrũ effingere, aut malitiæ statuam exculpere. Cæterum per diuitias uix aliquis paucula quædam uirtutis membra eleganter exculpet, multi uero paupertate adiuti omnia simul fabricare possunt. Ne ergo paupertatem proscindamus, quæ uirtutis parens est: nec etiam opes conuitijs laceremus, sed eos qui his perperam abutuntur, accusemus. Nam & ferrum hominibus datum est, ut ædificantibus, agricolis &

Diuitiæ & paupertas instrumenta sunt.

nauū fabricatoribus cooperetur, & alias humanæ uitæ artes adiuuet. Qui uero in se mutuo graſantur, illud neceſſarijs dūtaxat uſibus ſeruire nō permittunt, ſed mutuas etiam cædes per illud perpetrant. Non tamen idcirco ferrum culpamus, ſed eorum qui hoc abutuntur, detestamur malitiam. Similiter uini uſus hominibus ad lætitiā, non autem deſipientiam uel inſaniam conciliandam datus eſt. Qui uero intemperantiæ ſtudent, & ebrietati intabescunt, lætitiæ genitorem deſipientiæ patrem faciunt. Cæterū nos iuſtum in his calculum ferentes, eos quidem qui diuino munere male abutiūtur, uinoſos, ebrios & malos nominamus: uinum uero ceu diuinitus collatum munus admiramur. Idem de diuitijs harumcūq; poſſeſſoribus iudicium ferre cōſueuimus, & diuitias quidem omni culpa & crimine liberamus: illos uero, ſiquidem harum diſpenſatores iuſti fuerint, maximis præconijs ornabimus: ſi autem inuerſo rerū ordine ipſi diuitijs ſeruerint, illarum nimirum iuſſa in omnibus exequendo, & omne ſeruitium malum ſub eundo, iniquitatis illos accuſabimus: quod nimirum, cum domini conſtituti ſint, domini ius coraruperunt, & herilem poteſtatem ſeruitute permutarunt.

Cur non omnibus diuitiæ datae ſint.

Sed dicat forſitan aliquis illorū, qui nihil aliud quàm bene dictis obſtrepere norunt: Quam ob rem non cunctis hominibus diuitias poſſidēdas rerum conditor largitus eſt: ſed his quidem diuitias copulauit, illis uero paupertatem quaſi forte addixit,

addixit, uitamq; hanc inæqualibus admodum & imparibus conditionibus repleuit. Quem & ego lubens interrogauerim, cur non omnibus corporis nostri membris unam & eandem uim rerū opifex incidit: sed oculis quidem colorum & figurarum iudicium cōmisit, auditum uero uocum & sonorum discrimina cognoscere uoluit, nares autem ut uapores excipiāt, & suauem odorem à fœtore discernant, linguam item ut gustu sapores diiudicet, dulcis & acerbi, acris & amari & pinguis discrimen deprehēdat, instituit. Et pedibus quidem incessus potentiam concessit, manibus uero omniuariā operationem ceu sorte distribuit. Ventrem alimenti receptaculum, iecur uero eiusdem purgatorium, cerebrū medullarum thesaurum, caloris autem fontem ipsum cor constituit. Arterijs item spiritū inclusit, uenas autem sanguinis canales fecit, singulis item membris diuersa operationum decreuit officia. Atqui omnia quæ modo dicta sunt, sed & ea quæ silentio præteriuimus, ad unius corporis perfectam fabricam seruiunt, interim tamen singulis aliquid propriæ functionis commissum est, & in cōmune illud singula conferunt. Visus equidē pedes ducit, & uiaē planitiem illis monstrat, & locos asperiores deuitat: ipse autem à pedibus fertur. Auditus quoq; dum sonos percipit, uisum ad uidendum excitat, idem autem per uisum sonorū qualitates cognoscit. Et ut apostolico testimonio quæ modo dicta sunt confirmemus, Non potest oculus dicere manui; Nō est 1. Cor. 12.

THEOD. DE PROVIDENTIA

mihi opus te : aut rursum caput pedibus, Non est
 mihi opus uobis : imò multo potius quæ uidentur
 mēbra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt:
 & quæ putamus minus honesta esse, his honorem
 uberem apponimus. Nec unquam aliquis in-
 dignatur diuersam in membris operationem cer-
 nens, nisi ualde desipiat : quin potius Creatorem
 amat & admiratur, qui tam sapienter singula di-
 screuit, & singulis commodam & idoneam ali-
 cuius officij functionem commisit, eamque quæ sin-
 gulis propria erat, toti corpori communem fecit.
 Nec enim uisus solus uisibilia sensu fruitur, nec
 solus auditus sonis iuuatur, ut nec solum os sapo-
 res, nec solus nasus odores, nec soli pedes incess-
 sum, nec solæ manus operationes, nec solus uen-
 ter alimentū, nec solum cor calorem, nec solum ce-
 rebrum sentiendi affectionē percipit: sed peculia-
 rem quidem & propriā uim singula habēt, usum
 uero & utilitatem omnem in cōmune conferunt.
 Et cor quidem totum corpus calore fouet, hoc to-
 tum nutrit, illud uero alium quæstū aliquem, qua-
 si tributū, animato corpori affert. Et operationis
 uarietas in omnia quidem corporis membra diui-
 sa est, singula uero mutuū à se inuicem fructum
 percipiunt, & communis omnium usus est. Nec
 auditus indignatur quod nō uidet, nec oculus au-
 diendi sensu destitutus dolet, sed singula hæc na-
 turæ limites studiose obseruāt, & tributum, quod
 ab initio ipsis iniunctum est, persoluūt. Tu uero
 multum indignaris, quod non omnes homines
diuitiarum

diuitiarum undis affluunt, & domos splendidas inhabitant, & tunicarum palliorumq; splendore corpus exornant, & equis mulisq; uecti magna præcursorum & affeclarū ac famulorum turba ministerijs addicta gaudēt, tum etiam auro intertextas spondas, lectumq; mollem & fluxum, & mirros opsoniorum apparatus, & uaria uoluptatum inuenta, ac undiq; affluentes, atq; uoluptatem incendētes delicias possident. At quo pacto aliquis temperantiam conseruet, qui tot contra se hostes concitat? qui illam omnibus tam animæ q̄ corporis partibus expellit? Quomodo prudentiæ habitum conquirat homo, qui tot sarcinis rationē obruit? Sed quid hic temperantiam, iustitiam, fortitudinem & prudentiam dicere attinet, quarum ne nomina quidem isti audire possunt? Quomodo item omnes simul diuitiarum possessione fruantur, si omnes eiusdē conditionis & sortis fuerint? Quo pacto deniq; si æquales omnes sint, & omnes opibus similiter abundēt, necessariorum inopiam & usum homines sarcient? Aut quis, si eadē cum reliquis omnibus opum abundantia instructus sit, alteri seruire uolet? Quis (inquam) foco assidere, opsonia parare: quis item panes coquere, aut mola triticum conterere, & farinas cribro discernere, abstergere, coquere, & ignis calorem ferre (nisi inopia & egestate cogat) sustinebit? Quis uero boues aratores sub iugū misit, & terram nouis fulcis secuit, sementem fecit, eandemq; ubi germinauit & excreuit falce demessam in aream trās-

THEOD. DE PROVIDENTIA

uexit, & à paleis separauit, quem non paupertas
 ad labores sustinendos compulerit? Quis porro
 lapidinis assedit unquã, & lapidum materiam
 ædificijs firuendis exhibuit, domusq; bene & ele
 ganter cõcinnatas extruxit, nisi qui paupertate ex
 timulatus opus facere coactus est? Quis nauticam
 artem? quis marinã negotiationem? quis nauticã
 in laboribus assiduitatẽ? quis textoriam? quis suto
 riam? quis figulinã & ferrariam exercuit? Si enim
 æqualis esset opũ possessio, nequaquã illa alium
 aliq; inferuire permitteret, sed inter duo hæc alteru
 trum contingeret necessario: nam aut singulis o
 mnes artes tenendæ & obeundæ essent, aut omni
 bus simul necessariorũ penuria foret periclitandũ.
 Quod uero unum aliquem omnes hominũ artes
 addiscere impossibile sit, non utiq; multis rationi
 bus demonstrare opus est, nam ipsa nobis experi
 entia locupletissimum eius rei fert testimonium.
 Si quis enim uel duas saltẽ simul discere instituat,
 utranq; perdit, cũ utraq; alteri noceat. Mens enim
 in diuersarũ partiũ studia distracta, cum utranq;
 simul apprehẽdere non possit, particulas quidem
 aliquot ex ambabus elicit, exactam uero & perfe
 ctam cognitionem nec unius quidem assequitur.
 Reliquum ergo est, quod si omnes æquali opum
 abundãtia donandi fuissent, eadem illa interitus
 causam attulisset, idemq; nobis contigisset quod
 ijs qui edendi uoluptatem & appetitum nimia sa
 turitate perdũt: nam & illi obsoniorũ assiduo esu
 appetitum hebetãt, & hi propter opum amorem
 &

& studium necessariorū quoq; penuriam sibi asciscere concupiscunt, & diuitijs iunctum interitum paupertati cum uita coniunctæ præferunt. Sed hos quidē delirare sinamus: nos uero hinc quoq; Dei erga nos curam demonstrabimus, & quā ipsi inæqualitatem uocant, iucundissimā uitę causam & optimæ politię scopum & institutū esse ostendemus. Demonstrabitur quippe, quod summus ille omnium princeps hic quoq; rerum æqualitati quā maxime consuluerit.

Primo etenim terram cōmune omnibus solum dedit, cōmune domiciliū, & nutricem & matrem & sepulchrū, unum item creationis principium, puluerem nempe omniū progenitorē, sed & cælum commune omnibus rectum extendit. Solem quoq; & Lunam unā cum reliquis stellis ceu communes faciferos donauit. Aerem medium effudit, hunc quoq; similiter communē omnibus thesaurum proponens. Nec enim ex eo plus pauperioribus diuites attrahūt, sed æqualem ex hoc quoq; partem paupertas sumit, quin maiorem quoq; ut pote cum longe plures huius alumni sint, quibus corporis sensus & ualidiores sunt, & à superfluis illis oneribus magis liberi. Fluiuij rursus & fontes omnibus communes latices ebulliunt. Quin & corpora tam pauperibus q̄ opulentis similia condidit, imò in his etiam præstantiori conditione sunt pauperes: horum quippe corpora ualidiora & saniora sunt. Inopia enim bonæ ualerudinis mater est, ut sapientissimus medicorū dixit: tum la

Par diuiti
& pauper
conditio.

THEOD. DE PROVIDENTIA

bores & exercitia, iuxta eiusdem doctoris sententiam, maximū ad ualitudinem ruendam momentum conferūt. Præterea animæ etiam, tam horum quàm illorum, eandem naturā obtinent. Vna & eadem fœturæ uel conceptionis origo tam his quàm illis, unius & eiusdem generationis scopus in uetrorumq; nuptijs, pares conceptionis menses: nec enim pecuniarū copiam tempus ueretur, nec diuitias cum pudore suspicit, ut uel ante præscriptos limites fœtum emittat, aut eundem diutius in utero detineat, sed simili modo tam diuitis quàm pauperis fœtus prodeunt. Dolores & hunc & illum in lucem emittunt, imò (si experientię fidem habes) pauperulæ partus longe facilior est, & dolores pauciores. Laborū enim consuetudo facilitatē parit. Quamobrem delicatioribus fœminis medici prius quàm pariendi tempus adueniat, laborē necessario inferunt. Proinde simili modo imprægnantur, non autem similiter pariunt: sed illic quidem diuitiarum fiducia solatiū præbet, & maior difficultas cruciat, hic uero necessariorū penuria & natura consolatrix infirmitati succurrit. Quin potius naturæ cōditor disparem hanc uitæ conditionem temperans, partus difficultati, quæ ex delicatioris uitæ ratione oborta est, medicorum & pharmacorum solatia adhibet: ei uero quæ propter inopiam hac ope destituitur, naturæ auxilium confert. En tibi iustissimi iudicis decretū, & linguā ad laudes cōmoue. Sed & ipsos fœtus inspicere, qui similiter omnes nudi in lucem prodeūt. Nec enim diuitis

fœtus

fœtus purpura uestitur, nec pauperis pannis lace-
 ris inuolutus est: sed uterq; nudus in lucē æditur,
 ipso creatore æqualitatem prædicante. Simili mo-
 do respirans aerem attrahit, simili modo mamilla-
 lam sugēdo trahit, non alio lacte pauperis infans
 nutritur, nec aliud diuitis infanti præbetur: sed
 tam hic q̄ ille unum idemq; alimentū percipiunt.
 Nec uero ingressum modo in uitam hanc unum
 & eundem omnes habemus, sed & exitus omni-
 bus unus est. Vna & eadem mors omnes excipit.
 Nec enim diuitias mors metuit, nec lancearios sa-
 tellites timet, nec purpurā horret, quin & muros,
 turres regumq; aulas contemnit, ac in ipsos thala-
 mos penetrat, lachrymantis non miseretur, oran-
 tis precibus non mouetur, donis non corrūpitur,
 medicam artem non moratur, pharmacorū uires
 uanas & inefficaces esse ostendit: sæpius etiā nec
 ultima mandata dare, nec opum hæredem scribe-
 re permittit, sed rapit, ruit, animamq; à corpore se-
 parat. Finem ergo uitæ communem habent & hi
 qui diuitijs superbiunt, & hi qui cum paupertate
 conflictantur. Tum ubi uitam egressi sunt, eandem
 etiam è mūdo hoc peregrinationem sustinent. Si-
 mili enim modo putredo sequitur, & sanies de-
 fluit, & uermes enascuntur, & terribilis ille uisus
 extinguitur simul & liquescit, tum insatiabile il-
 lud os & lingua rabida uermibus arrodenda &
 comedēda proponitur. Ad hæc ferocientis & ela-
 tæ ceruicis fastus non modo inflexus deprimitur,
 sed & torus dissoluitur: inflata illa & tumida buc

ca non modo dissoluitur, sed etiam in paruum & tenuem puluerem abit: genarum flos languescit & euanescit prorsus, tum qui malitiam scripserūt digiti tota compage dissipata iacent. Hæc itaq; omnia diuitibus simul & egenis communia sunt. Restat ergo quod & ipsæ diuitiæ simul & paupertas omnibus communes sint, quas tu quidem peculiare & proprias quorundam hominū esse arbitraris, easdem autem similiter communes existere sermo noster, diuino sic fauente numine demonstrabit.

Diuitiæ & paupertas omnibus communes sunt.

Diuitū quippe opibus pariter & ij qui in paupertate uictitant, fruuntur. Cōmunis enim utrorunq; conditor omniuarijs artibus paupertatem excoluit, propter quas diuites ad pauperum fores ueniunt, & pro pecunijs quæ sibi necessaria sunt, ab illis recipiunt: & dum pluribus propter opes indigent, omnium necessariorū penuria laborāt. Ab his enim panes, ab iisdem opsonia emūt. Alij item pedibus calceos conficiūt, alij tunicas, togas & pallia parant, alij tapetia, uittas & amicula texunt: & hi rursus domos ac thronos ædificant, illi uero olerum & fructuum infinitas species, alij triticū, hordeum & reliquas agriculturæ diuitias proferunt, sine quibus uitam transigere impossibile est, licet uel Cræsi uel Midæ aurum aliquis possideat. Pauperi uero panis ex milio confectus uel etiam furfuraceus sufficit, & uulgari opsonio contentus est. Quem ergo (siquidem recte & iuste pronunciare uoles) indigum uel egenū uocabis?

bis? quem item pauperem esse, & necessarijs care-
 re dices? eum ne qui paucis quibusdā, uel potius
 illum qui pluribus indiget? Eum ne (inquā) qui
 ea per quæ uita nostra consistit manibus tenet, uel
 eum qui auro infido confidit? quod seras & sigil-
 la atq; signacula uincit, quod item foribus longū
 ualere renunciāns fossorum furumq; manibus ra-
 ptum aufugit? Atqui pauperis artem nullus præ-
 do eripiet: opulentos autem non prædo dūtaxat,
 sed sycophanta quoq; diuitijs spoliare potest. Et
 pauper quidem ad forum assidet, uel sutoriā exer-
 cens, uel aurū elaborans, uel argētum aut uestem,
 uel aliud quippiam necessariorū diuendens. Qui
 uero diuitijs superbit, q; corpus ultra capitis quo-
 que uerricem attollit, & manus magna satellitum
 caterua stipatus circumfert, ad hunc uenit. Et hic
 quidem, ut par est, sedet, uel corium consuens, uel
 argentum exculpens, uel aliud quippiam artis,
 quam profiteretur, opus perficiens: hic uero cum il-
 lo sermones miscens, & præsentia sua artis illius
 necessarium usum indicans astat. Quid ergo indi-
 gnaris, & paupertatē accusas, cum diuitias quoq;
 huius opera cum primis indigere, eosq; qui diui-
 tijs affluunt, sine hac uiuere non posse uideas?
 Quin illum admirare, qui hæc tam sapienter insti-
 tuit: qui his quidē pecunias, illis uero artes largi-
 tur, & mutuam concordiam amicitiamq; hac ne-
 cessitate conciliat. Nam hi quidem pecunias lar-
 giuntur, illi uero artis suæ opera proferunt. Pau-
 pertas enim de honore contendit, & diuitias suis

muneribus superat. Quæ enim diues ceu inutilia possidet, ea paupertas arte transmutans necessaria & ad omnem usum idonea exhibet. Quin etiam si quis rem omnē exacte cognoscat, ipsam quoq; diuitiarum materiã paupertas colligit. Ipsa enim aurum, argentum, æs & ferrū, quibus diuitiæ constant, effodit. Et diuitiæ quidem ex omnibus artibus aliquid corrogantes nascuntur: artes uero paupertatis propriæ sunt. Sed & hæc ipsam informem diuitiarum materiam paupertas sumens effingit & format, & ex hac annulos, in aures, monilia, calyces, torques, pocula, & quæcunq; alia diuitum buccas inflare solent, fabricat. Quapropter cum diuitiarum thesaurus paupertate constet, & paupertas uicissim diuitiarum auxilio subleuata artes obeat, quid tu æqualitatis tantæ inæqualitatem accusas? Cur quæ sibi inuicem amicissima sunt, contraria nominas? Cur politiam calumniose carpis, cuius beneficio & pauperibus & diuitibus uita est suauior & iucundior? Dum enim tam hi q̄ illi res necessarias à se mutuo recipiunt, usum rerum impleant, omnemq; necessitatem sarciant.

Cur non fo-
li iusti diui-
tes sint.

Sed dicas fortasse: Cur autem plures diuitū iniuste uiuunt? cur non omnes iustitiæ alumni uel cultores sunt? Verum hic denuo liberam homini uoluntatem eripis, & præstâtissimum hoc animal honore, quem à Conditore suo accepit, spoliās. Præterea apertissimum defensionis campū haberent malitiæ operarij, si in hac præsentī uita solis iustis diuitiarum thesauros iudex ille distribuisset.

Eadem

Eadem enim, quæ & ipsorum magister ac doctor contra Iobem locutus est, diceret: Quia tu circumvallauisti interiora & exteriora domus ipsorum. frumentū & uinum multiplicauisti eis. Sed mitte manū tuam & tange quæcunq; habent, nisi in faciem te benedixerint. Hæc (inquam) dicerent homines improbissimi, si soli uirtutis cultores & alumni diuitiarum munera accepissent. Postquã uero paupertatē & diuitias, quasi materias quasdã, in medium proposuit rerū conditor, his uero quidam ad uirtutem comparandã utuntur, alij uero easdem malitiæ suæ materiã habent, iam nec pauperibus nec diuitibus, qui in malitia uitam transigunt, excusationis uel ueniæ locus relinquitur. Qui enim diuitias bene & honeste administrant, nec aliorum detrimētis uel ærumnis has augent, & opulentia suæ consortes adhibent egenos, ij in illorum accusationē iustam sufficiunt, qui diuitijs male utuntur, & auaritiæ student. Qui item paupertatem sapientiæ studio temperant, & illius insultus forti & generoso animo sustinēt, eorum iusti accusatores erunt, qui malitiã in paupertate imbibere. Simul autem aliã quoq; summi illius gubernatoris dispensationem inspicere, quo feruentius & alacrius illius gloriam decãtes. Postquam enim multã circa diuites curam uidit, corporis ualitudinem integrã paupertati ceu forti attribuit. Et diues quidem magno cum labore & studio fertur, pauper uero alienis pedibus nequaquã opus habens incedit. Et hic quidem pauperis ualitudi-

Pauperis &
diuitum ual-
tudo.

ner optat, ille uero diuitis infirmitatem misera-
 ar. Sed in ipsis quoq; morbis uidere est, hunc qui
 dem multorū cura foueri, interim uero acerrimis
 doloribus excruciarī, & morbi uehementiam su-
 stinere nō posse. Et hyberno quidē tempore mise-
 rabiler domi desidet, molli lecto affixus iacet, ue-
 stibus multis & calidis inuoluitur, focos undiq;
 circumstātes habet qui frigoris uim arceant, phar-
 maca item innumera quę cum morbis certent, me-
 dicorum quoq; pollicitationes consolationis ple-
 nas audit, & amicorū præsētia fruitur, qui mor-
 bi uires suauibus colloquijs quasi auferūt uel fal-
 lunt. Quod si uero æstiuum aduenerit tempus,
 mox alię illum domus suscipiunt, patientiores ni-
 mirum, quę uentorū auras facile admittāt, & ubi
 hæ cessauerint, famuli flabellis motis uentulū stu-
 diose faciunt. Rami circunquaq; fixi astant, qui
 hortū ex tempore referant, & domū syluę aut ne-
 mori similem reddant. Fontes quoq; in summis
 ædium fastigijs ingeniose parantur, quorū scilicet
 strepitu palpebris ipsius somnum conciliare stu-
 dent. Et tanta licet undiq; cura adhibeatur, nihilo-
 minus tamen ille nudus & hac illac sese circum-
 uolutās cruciatur, & manuum iactatione abscon-
 ditum & latētem morbi calorem indicat. Pauper
 uero unīcam domunculam, eamq; mercede con-
 ductam inhabitat (imò eos etiam inuenire licet,
 qui cum mercedē exoluere non possint, foro pro
 domo utuntur, quibus lecti loco solum est, & stra-
 nū limollioris usum storea exhibet) illiq; nec me-
 dicus

dicus adstat, nec cocus medici mandatis subsers
 uens, non famulus, non famula, & nonnūquam
 nec sermīna coniux, Ad omnia autē ipsi Dei pro
 uidentia sufficit, quæ morborū stimulos hebetat,
 dolores mitigat, caloris ignem & æstum citra
 omnem pharmaci opem extinguit, simulq; omne
 quod uel ex frigore uel æstu uel inhærente humo
 re detrimentū oboritur, arcet. Nemo illum docet,
 qui nam cibi morbi uires alant, qui item ualerudi
 ni & sanitati auxilium ferāt. Sed non aliquod ho
 rum discrimen obseruans indifferenter quod
 cunq; forte nactus fuerit, comedit, & quod per se
 noxiū erat, ipsi utile & proficuum redditur, tum
 etiā frigidaæ aquæ haustus illi loco pharmaci esse
 conspicitur, ac aridus siccusq; panis morbi æstum
 ac flammā extinguit. Non indiget ijs quæ supra
 per os sumuntur pharmacis, nec qui per anū im
 mittuntur clysteribus. Natura enim inopiam sup
 plet, & medicam opem laboranti offert. Et sanè uī
 dere licet eum, qui in solo nudo prostratus iacet,
 facilius morbū sustinere, q̄ ij qui omni illa, quam
 paulò ante commemorauimus, cura fouentur.

Quapropter, cum in omnibus quæ fiunt, Dei
 curam & iustam dispensationē uideas, ne tu curio
 sius singula quæ fiunt inquiras. Quod si uero cu
 riosius aliquid inquirere, & ingenij uires exerce
 re libet, eiusdem tuæ curiositatis compendiū fit, di
 uinæ laudis & gloriæ celebratio. Hæc tuum iter de
 ducat, hæc eadem ad eorū quæ fiunt inuestigatio
 nem te præcedat & uia dux sit, Huic item obtem

THEOD. DE PROVIDENTIA

perans omnem occasionem ad Creatoris laudem celebrandam apprehēdito. Tres istos pueros imitare, qui camino inclusi, inanimatam quoq; creaturam ad gloriæ diuinę celebrationē & confessionem inuitauerūt, ac tyrannū, qui illos crudeli sententia camino tradiderat, ad miraculi contemplationem pertraxerūt, & ut illum Deum, quem ipse oppugnabat, adoraret, suo illo miraculo compulere. Illos equidem nec caminus linguas suas ad blasphemiam commouere coegit, sed tanto flammarum ardore & æstu circumsepti hymnis benefactorem uenerabātur: Te uero nec caminus, nec leones blasphemare cogunt, sed cum in donis, quæ tibi diuina concessit liberalitas, uoluptuari & delitari consueueris, dona tamen non sentis. Quod si uero mihi obedire uoles, linguam pietate exornabis, & creaturam quidem laudibus prosequeris, Creatorem uero hymnis coles, & ubiq; præsentem illius prouidentiam adorabis. Ipsi sit gloria in æternum: Amen.

SER

S E R M O V I I .

*Quod seruitus & herilis potestas ad humanam
uitam utiliter constitutæ sint.*



NON equidē humana lingua ad lau-
des suas celebrandas summus ille om-
nium Conditor opus habet: nam
nec eam, quæ ab angelis ipsi confer-
tur, gloriæ suę enarrationem quasi indigus huius
recipit: animorum tamen beneuolentiam cernēs
gratitudinē probat: & cum legales uictimas olim
offerret, non tanquā Deo necessarias offerebant,
sed pro innumeris, quę ab illo percipiebant, bene-
ficijs eam quam poterāt, gratiam referre conaban-
tur. Quapropter nec unam & eandem uictimam
omnes obtulisse uidemus. Hic enim uitulum, ille
agnum, alius hœdū sacrificabat. Et alius quidem
plures, alius pauciores uictimas. Cui uero pauper-
tate presso hæc omnia deerant, illi par turturū aut
pulli columbarū ad oblationem sufficere poterāt.
Qui autem etiam illis carebat, similia parua & ali-
quāto thure rem faciebat diuinam. Vnde iustum
illum iudicem animi qualitatem, non donorum
quantitatem, respicere discimus. Similiter & nos
pios hosce sermones nostros offerimus, non equi-
dem, ut hac ceu minima gutta immensam sapien-
tiæ abyssum augeamus, sed familiaribus animi
nostri gratitudinem testari, & conseruorū temeri-
tatem arguere, & eosdem herili iugo subiicere in-

stituimus. Magnus etenim & acerbus nos dolor excruciat, cum quæ omnia gubernat Dei sapientiam illorum calumnijs proscindi uidemus: cuius gratia & præsentem hunc dicendi laborem suscepimus, & blasphemias uoces argumentis cõpescere conamur. Quod uero nimitiũ imprudẽter eam, quæ esse uidetur, uitæ inæqualitatem accusent, & desipientes id quod opus est nõ perspiciant, abunde satis proximo sermone docuimus, qui & paupertatis utilem usum demonstraui, & diuitiarum inopiam euidentissime arguit. Quoniã uero non modo paupertatem accusant, uerumetiam seruitutem deplorant, & ob regaliũ tributorum exactiõnem lamentantur, tum ob alia quoq; innumera, quæ uitæ nostræ cum primis conueniunt: agedum illa quoq; paucis percurramus, & peritos medicos imitemur, qui ubi ægrotos cibis abstinere, & oblata sibi edulia fastidire uident, medicis quibusdam artibus illorũ morositatẽ callide admodum eludunt. Quæ enim aridiora & acerbiora sunt, dulcioribus condimentis temperant, & gratissimum efficiunt, quod ægroto nauseam mouere uidebatur. Et hi sanè, perinde ut illi, omnia quæ uident, & quæ fiunt reprehendunt. Atqui alteris illis morbus præter animi sententiã contingit, & acerbis cruciati doloribus à cibis abstinent, cumq; illis uesci cupiant, morbi tamen ui prohibentur. Hos uero uoluntarię passiones oppugnant, & fastidio laborant, non cibi aut opsoniorũ, sed eorũ omnium quæ & sapienter & iuste à diuina Prouidentia dispensantur.

spensatur. Et dum sementem faciunt, imbres desiderant: iter uero facientes eosdem accusant. Præterea ut seminū fructus ad maturitatē excoquantur, feruentiori radiorū solariū æstu opus habent: eosdem tamen molestius quoq; ferunt, & æstum uituperant. Omnes labores uentris causa suscipiunt, nempe agrorū culturas, nauigationes, tum etiam profectiōnes longissimas: & rursum eiusdē amarulentissimi accusatores fiunt, quasi is non in hoc ordinatus sit, ut animæ nutibus seruiat, sed ut eidem imperet. Fulmina, grandines, & si quæ alia tempestatū damna sunt, culpant: è contra autem Dei longanimitatē reprehendunt, & nec iustitiæ Dei nec longanimitatis reuerentia tangūtur. Sed ipsi quidem, si uel maxima cōmittant flagitia, precantur tamen, ut Dei longanimitate frui possint: in eos uero, à quibus ipsi offensi sunt, stricto prorsus iure & absoluto iustitiæ rigore animaduerti uolunt. Viderunt pauperes: & mox linguam contra prouidentiam mouerunt, & paupertatē plurimis obruerunt scommatis. Ut autē è contra diuitem, summis pedum digitis incedere, leoninū tueri, hinc inde humeros circumferre, aut uehiculis inuehi, famulorū item & satellitū multitudine stipari conspexerūt, mox contra opes blasphemix suæ rabiem proferunt. Vitam quasi inæqualitatis plenam molestissime ferunt: mortem uero, quæ inæqualitatē tollit, & parem omniū corporibus conditionem affert, odio prosequuntur. Atqui uitam eos amare decebat, qui mortem uituperant: aut

THEOD. DE PROVIDENTIA

mortē laudare eos qui de uita quiritantur. Ex dia-
metro enim mors & uita sibi inuicem contraria
sunt. Sed hi cōfuse omnia simul conuitijs proscin-
dunt, & omnia similiter uituperant. Et cum pueri
sunt, uiros fœlices iudicant: uirilem uero ætatem
ingressi, pueros beatos dicūt. Sed quorsum opus
est omnes quas prauus iste morbus gignit, enu-
merare calumnias? Nihil enim est ex omniū quæ
fiunt numero, quod non aliquod ab illorum lin-
gua emissum conuitiij telum excipiat. Eia igitur,
medicis cōpendijs usi ea ipsis iucūdissima demon-
strabimus, quæ ipsos hæctenus offenderūt. Atqui
de diuitijs et paupertate, de inæqualitate item quæ
in illis esse uidetur, sufficienter in priori sermone
differuimus, tam huius quàm illarum utilem usum de-
monstrantes. Quod uero hominum genus ab ini-
tuo rerum conditor in seruitutem & herilem pote-
statem distinxerit, mox ostendemus.

Vna omniū
origo.

Huc ergo ad primā nostri generis creationem
accedito, & uide, ut unus quidē homo è terra con-
ditus, mulier uero ipsi similis non similiter è terra
formata sit. Costam enim unam ex illo rerū con-
ditor accipiens, sic sexum illum creauit, ne illa alte-
rius cuiusdam naturæ propter terræ diuersitatem
esse uideretur. Vnus itaq; è terra creatus est, & ex
uiro mulier, et ex duobus hisce uniuersum genus
mortalium. Non enim ab initio statim rerū Opi-
fex his quidem seruitutis iugū, illis uero herilem
potestatem distribuit, sed unum omniū nost um
genus creauit. Præterea cum Noam arcam parare
iussisset,

iussisset, & salutem ipsi iustitiæ mercedem tribue-
 ret, ipsum & uxorem unâ cum filijs & eorundem
 nuptis extractâ arcam ingredi præcepit, nec quis-
 quam seruus ingressus est. Nec enim adhuc homi-
 num natura illud institutum susceperat, sed ea so-
 lummodo quæ uere serua sunt, brutorû uidelicet
 animalium genera, quæ & idcirco uniuersalis re-
 rum Conditior in hanc uitâ induxerat. Postquam
 uero in ijs quæ postea contigerunt, multa inordi-
 nate & indecenter ex hominû licentia, nullo ma-
 gistratuû metu coercita, prodijisse uidit, omnemq;
 iniquitatem citra omnem timorem parari, in ma-
 gistratus & subditos humanum genus diuisit, ut
 nimirum magistratum metus peccatorû multitu-
 dinē imminueret. Timor enim rationi obstrepen-
 tium affectuum motus frenare, & animæ propen-
 sionem ad malû coercere consuevit: sæpe etiâ que
 ratio minus efficere potuit, timor recte & egregie
 gessit. Postquã enim natura in malum impegit, et
 mens affectibus circumdata atq; submersa ipsum
 corpus absq; omni ordine (ceu nauem clauo &
 moderamine carentem) abripiendû destituit, ne-
 cessario nobis legibus opus fuit, quæ anchoræ in-
 star essent, quæ & nauē sisteret, & procliuem pro-
 numq; eius impetû inhiheret, ac gubernatorem
 denuo emergere, clauumq; arripere permetteret.
 Atqui ip̄ eadem & pari potestate omnibus consti-
 tuis & æqualitate regnante, Legum promulga-
 tionem fieri impossibile erat. Nam nec in ijs urbi-
 bus, quæ democratia reguntur, ubi rerum agens

Magistratus
 tuum insti-
 tutio.

darum authoritas penes populū est, eadem & æ-
 qualis est omnium conditio: Sed alij quidē The-
 mothetæ, alij uero Legislatores, alij autem Impe-
 ratores erant, alij subditorū numerū impleuerunt:
 Demagogus autē tam subditis q̄ reliquis primari-
 bus imperat. In ijs uero quæ Oligarchia regūtur,
 plures quidē ad subditorū catalogum pertinent,
 pauci uero, qui & prudentia excellunt & uirtuti-
 bus insignes habentur, rerum publicarū admini-
 strationē & imperiū obtinent. Et hi quidē Epho-
 ri, alij uero Nauarchi, alij rursus Harmostæ seu
 aptatores fuerunt, & populum prout illis utilissi-
 mum esse uisum est, gubernauerunt. Proinde pec-
 cato Legum necessitas introducta est. Leges uero
 legislatorū potestate opus habebant, imò non le-
 gislatorū modo, sed illorū quoq; qui transgresso-
 res punire possent. Et peccatū quidem inordina-
 tam & indecentem rerum confusionē introduxit:
 huic uero summus ille rerum omniū gubernator
 ordinem præscripsit, & peccati impetum legibus,
 quasi freno quodam cohibuit, atq; freni huius ha-
 benas magistratibus, tanquā aurigis, commisit.
 Ab his & ciuitates rite reguntur, & castella & mili-
 tiæ. Quis enim iniustorū manus ferre posset, nisi
 cupiditatis & auaritiæ illorum flammā ac impe-
 tum Legū metus coerceret? Nam perinde ut pisces
 solent, magni minores deuorarent, nisi gladium
 acutū, ardentem rogam & quæcunq; alia in ma-
 lorum suppliciū à magistratibus excogitata sunt,
 Lex ostenderet. Si enim, cum & Leges minitētur,
 &

& scelerum pœnas magistratus exigant, adhuc tamen nonnulli sunt, qui omni fera crudeliores animos contra proximos gerunt, & ut scorpj in illos irruunt, ut serpentes mordent, ut canes rabidi furiant, & erga eiusdem generis consortes ac socios ut aduersus diuersi generis animalia leones rugiunt: quid non facerent illi, si nec leges essent, nec ulli magistratus pœnas exigerent? Nunc uero audent quidem nonnulli iniquius agere, ijdem tamen illi latere student, quia leges metuunt, & iniustitiam suam uerborum uirtute uelare conantur. Et qui iniuriam passus est, intrepide iudicem adit, & iniuriarum actionem instituit, atq; iniurij in se hominis nec potetiam metuit, nec diuitiarum ipsius splendorem horret. Sed in forum, ceu in portum aliquem, festinat, iniuriae species enumerat, & ut leges in medium adducantur orat, iudicemq; ut secundum has sententiam ferat, precatur. Hic uero calculum suum profert, et ereptam domum aut agrum aut supellectilem ei qui iniuriam passus est, reddi praecipit: saepe etiam pecuniariam mulctam ab eo qui alteri iniuriam inferre ausus est, exigit. Hoc timore & murorum perfossores & fures coerciti, non palam, sed occulte delicta sua patrant, et eo ipso quod latere conantur, timorem suum praedicant: alioquin etenim pugionibus aut gladijs arreptis omnes sibi obuiam factos iugularent, & illorum opes diriperent: Quoniam uero timent, multi quidem omnino abstinent: qui uero malitiam patrare audent, uel uiarum deserta insidiosè obsident, aut noctu in ur-

bibus nequitiam suam exercent, tenebrarū nimirum & somni & quietis, qua omnes indulgēt, auxilio adiuti. Quod si autē duo aut tres ex illorum numero deprehensi secundū leges puniantur, illi sufficiens admodū ad salutem exemplum fiunt reliquis, qui ubi sociorū supplicia uident, malitiam, utpote suppliciorū huiusmodi matrem, odiunt. Atqui nescio quo pacto in hæc uerba digressus sim, qui seruitutis causam exponere institueram: quare eò unde digressus redire tempus postulat.

Quod itaq; summus ille omnium rerum opifex unam omnium hominū naturā fecerit, & ex uno uiro & una muliere uniuersum orbē habitatum hoc hominū genere complevit, diuina scriptura testatur. Quicūq; enim uel Orientem uel Occidentem, uel Australes uel Boreales mundi partes acceperunt, quicūq; item mediū terrarum orbem inhabitāt, unā obtinent formationis speciem, eundem sensoriorū numerum, solis moribus & colorum diuersitate differentes. Mores autem ab ingenio & libera animæ uoluntate uel arbitrio effinguntur. Eandē uero apud nos ipsos differentiam inuenire licet. Porro colorū diuersitatem locorum situs inducit. Qui enim à solaribus radijs remotiores habitant, corporis superficiem cādidiores habent. Qui uero in Oriente uel Occidente Australiorem poli plagam incolunt, cum radijs hisce magis uicini sint, corporibus nigredinem contrahunt, perinde ut ligna quæ assidua ignis inflammatione contacta carbones referre, nigrumq; colorem

lorem induere consueuerūt. Proinde una quidem hominum natura est, tam magistratum q̄ subditorum, tam regum q̄ illorū imperio subiectorum hominum, seruatorum item & dominorū. Vna autem hæc & eadem natura Opificis iustitiā prædicat. Eadem uero temporis progressu in seruos & dominos diuisa, interim uero tam his q̄ illis eundē characterem integrū conseruans, peccatū accusat, quod istiusmodi conditionē uel necessitatem inuexit. Simul autem & hoc loco Creatoris æquitas demonstratur. Nam unam illam & eandem substantiæ conditionē in finem usq; cōseruauit: confusionem uero, quæ per peccatum introducta est, magistratus ordinatione expulit, & illius cupiditatem nimiam legū regula moderatus est, perinde ut faber nauium tabulas amissi dirigit, & quod in illis superfluum est resecat. Quapropter cū seruitutem uides, nequaquā rerum Opificem accusabis, quin potius peccatū & blasphemix crimen fugito, propter quæ humanū genus in seruilem & herilem conditionem diuisum est.

Seruitutis origo & causa.

Atqui tu, cum nauim secundis uentorū flatibus ferri, & uectores rutos & quietos sedere, nautas uero uel remos agere, uel rudentes trahere, uel aliud quippiam eorū quæ iubentur exequi, proræ autem rectorem scopulos, fyrtes & saxa obseruare & gubernatori ostendere, hunc uero omnibus præesse & clauo nauim dirigere uides, ordinem hūc admiraris, nec iubes ut omnes gubernatores sint, nec omnibus nauis imperiū decernis: & dum

Seruitus utilis & necessaria est.

THEOD. DE PROVIDENTIA

hos quidē quietos sedere, illos uero iussa exequi, aliumq; quod uidit prædicere, illum uero omnibus simul præesse cernis, nequaquã hoc indignius fers, nec hanc nauis gubernationem ceu inordinatam uituperas, quin potius talem ordinē summa admiratione prosequeris. Domos uero nauium instar gubernari non uis, sed inique fers, dum alium quidē totam domum regere, alios autem omnes ab hoc regi conspicias. Atqui quod administrationem attingit, magna admodū inter nauim domūq; similitudo est. Dominus enim tanquam gubernator aliquis arrepto familiæ clauo omnibus præest. Qui uero inter uernas primatum obtinet, cuiq; aliorū omnium cura commissa est, prorsus rectorem imitatus dominū ea docet, quæ illi esse sua esse uidentur. In reliqua uero domesticorum turba, alij quidem tanquã nauis curis inter se distributis iussa exequuntur, reliqui uero tanquam uectores in medio horū confident, qui & ab illis diriguntur, & illorū opera sibi necessaria acquirunt. Quid igitur nauim, quæ hoc modo gubernatur, collaudas: domū uero, cui eadem omnino administrationis ratio contigit, uituperare pergis? Ego sanè te militiæ quoq; rationē probare arbitror, cuius dux summus Imperator est, manipulos autem manipulares duces seruant, decenter uero à principibus ducuntur ordines: Centuriones autem & Tribuni ab Imperatore acceptas tesseras ipsis transmittunt. Et nunc quidem in aciem exercitum constituunt, nunc uero transuersum, aliàs

etiam

etiam in directum ducunt. Fit etiam ut utroque cornu quod latissime extenso hostes concludant, nec aliquam fugae copiam permittant, quin simul undique immixtis telis omnes conficiant profus. Atque nihil horum fieret, nisi exercitus in duces uel principes & milites, qui horum iussis obediunt, diuisus esset. Nam quae penes multos est rerum agendarum potestas in bellis malum omnium nocentissimum est, quae exercitum in partes secat, & concordiam distrahit. Nam pluribus quidem consilijs exercitum ducere conantur, quibus tamen ille laeditur magis quam gubernetur. Quomodo igitur non absurdum fuerit, te qui & in naui unius primatum laudas, & exercitus ordinem, quem Imperatorum leges instruunt, probas, domum culpares quae eodem modo regitur?

Sed durum & amarum est (inquiunt) seruire, & assiduis uexari laboribus, atque pro dominorum arbitrio dimensum suum accipere. Caeterum si cum ueritatis studio singula quae diximus, inspicere uelis contentiosis illis ualedicens sermonibus, herilem potestatem tristitia, seruilis autem conditionem utilitatis plenam inuenies. Paterfamilias enim plurimis curis oppugnatur, multum nimirum cogitans & circumspiciens, ut domesticis necessaria suppeditet, regibus constitutum tributum exoluat, ut quae ex redditibus superflua sunt expendat, ea uero quae ipsi desunt, coemat. Quod si terra agricolae ingrata se fellerit, hominum scilicet erga Creatorem suum ingratitude imitata, ille maerore conficitur, creditores circumspicit, scribis no-

Seruitus herili potestate iucundior est.

men dat, & uoluntariã sibi seruitutem contrahit.
 Quod si eadem fructus protulerit, si inquam fru-
 gibus tota oneretur & segetibus luxuriet, si deni-
 que arborũ ramos fructuum copia oneratos deor-
 sum nutare cogat: ille nouis rursus urgetur sti-
 mulis: nam prouentuum emptores solícite quæ-
 rens nullos inuenit, & fertilitatis abundantia ipsi
 nonnihil fit intolerabilior. Nec interdum solũmo-
 do curæ illis obuersantur, animumq; circũstipan-
 tes affligunt, sed noctulonge grauius oppugnãt.
 Anima enim externis negotijs liberata quietem
 agens domesticarũ rerum, siue illæ bonæ siue ma-
 læ sint, sensu acrius tangitur. Seruus autem corpo-
 re seruiens animam liberam & omniũ istiusmodi
 expertem possidet. Nec enim ob terrę sterilitatem
 dolet, nec uenaliũ uilitatem queritur, nec in cre-
 ditoris conspectum cum mœrore incidit, nec exa-
 ctorum petitionem formidat, nec foro assidere co-
 gitur, nec præconis uocem, nec iudicem terribili
 se uultu ostentantẽ metuit. Dimensum suum iux-
 ta mensuram quidem, sed omni cura liberum ac-
 cipit. In solo prostratus dormit, sed nulla cura so-
 mnum excutit, quin potius hic dulcis admodum
 palpebris ipsius infusus soli duritiem sentire non
 permittit. Id ipsum sapiens quoq; iuxta naturæ ra-
 tiones pronunciauit, Dulcis somnus serui. Unica
 ueste corpus tegit, sed corporis uiribus herũ lon-
 ge superat. Furfuraceo pane utens nullo alio ad
 hoc opsonio uescitur, sed suauius multo q̃ ipse do-
 minus epulatur. Hic etenim uentri assidue inser-
 uiens,

uens & satietatis limites transcendens cibos urget, ac ui quadam uentri transmittit. Hic uero manu dimensum suum metiens & datum chenicem non modo rite distribuens auide & cum appetitu cibum sumit, uerumeriã facilius concoquit, laborem scilicet sibi cooperariũ habens. Cæterũ tu seruitutem quidem uides, ualitudinẽ autem corporis integram non uides: & ministeriũ quidem cernis, sed quod huic subest solatium, non perspicias: & laborem quidem damnas, uitam uero securam non laudas: sed & seruitiũ calumniose carpis, somnum uero illum dulcissimũ non animaduertis. Atqui hinc quoq; Dei Providentiã uidere, & gubernationis ipsius æqualitatem perspicere oportebat. Quandoquidẽ enim peccati necessitas in herilem & seruilem conditionem humanũ genus diuisit, illis quidẽ cum imperio curas quoq; coniunxit, & uigiliarum molestiam tradidit, sed & morbos in illos plures effudit: his uero corporum ualitudinem præstantiorẽ, & suauioremi cibi esum, somnũ item dulciorem longioremq; , qui corpus à laboribus recreet, & illud ipsum ad crastini diei labores robustius reddat, concessit. Quapropter, non labores duntaxat, sed etiam laborum solatia inspice, & communem omnium gubernatorem hymnis celebra.

Quid uero labores carpis, ò calumniator leuissime? Et quod nam ex omnibus, quę homini contingũt, bonis citra laborẽ recte peragitur? Quam felicitatem hominũ natura citra laborem perci-

Labores necessarii sunt

pit: Agriculturae bonis, nempe prouentuum fructibus, per labores fruimur. Vrbes ædificamus cū labore eas extruentes. Labore duce domus incolimus, ueste corpus uelamus, calceamētia pedibus inducimus, & cibos omniuarios proferimus. Et quid attinet omnes rerum necessarios usus exponere, quorum utilitas nobis per labores constat? Sed fucus quidam otio innutritus esse uideris, qui ex alienis laboribus fructus percipis, ipse uero nihil, præter solam linguā, quæ omnia carpere nouit, ad communem uitam confers. Atquē garrulitatem hanc nimiam otij abundantia peperit. Qui enim laboribus dat operam, pauca quidem loquitur, plurima autem opera peragit. Cum itaq; per labores singula bona recte riteq; perficiantur, ne quaquam, o amice, propter labores seruitutem uituperaueris. Quin potius uide, ut plures domini non minus q̄ serui laborent, imò multo magis, si curas quoq; illorū laboribus adnumeraueris. Et tu quidem eos, qui nunc industrij habentur, inspicere: ego autem ueteres illos, qui plus q̄ serui laborauerunt, demonstrabo.

Gen. 6.

Noam quippe illum beatum spectato, qui & ligna secat, & eadem ascia dolat, & ad angulos rectos exæquat, arcam quemadmodū iussus erat ex lignis quadratis extruit, clauis cōpages constringit, hoc deniq; modo totam illam ædificat, bitumine simul & pice illinit, & aquarū influxū hisce arcet. Præterea magnū illum Abrahamū, octodecim & trecentorū uernarū dominum, ipsum opus aggredi,

Gen. 14.
& 18.

aggredi, hospiti-
 bus ministrare, ad armenta curre-
 re, vitulum attrahere, uxorem ad panes conficien-
 dos urgere, & eandem illam similiter farinā subi-
 gere, sub cineribus panes coquere, nec ancillis mi-
 nisterium hoc iniungere, ipsum uero admirandum
 illum senem hospiti-
 bus astare, & ad mensam qui-
 dem non accumbere, eius uero ministeriū omne
 exequi, contemplator. Similiter Rebeccā, Bathue-
 lis filiam, Nachoris neptem, nubilem iam & for-
 ma præstantem uide: quæ nequaquā in thalamis
 purpurata desiderare sustinet, sed aquas gestat, & ad
 fontem extra urbem excurrit: nec ignē modo do-
 mum defert, sed & hospiti-
 bus officiū præstat: quæ
 (inquam) & aquas haurit, & tam ipsis quā camelis
 affert, & pulchrū illud continentiae donum inco-
 lume custodit, & uirginitatem illibata conseruat,
 interim uero laboribus omni alacritate studet, his
 potius conspicua esse, quā formæ dono splendere de-
 siderans. Inter hos eiusdem filius, eiusdem (in-
 quam) filius, magnus ille Iacob, uiginti annos
 transegit, quibus & greges paut, & cum feris col-
 luctatus est, æstusque molestias sustinuit: quod somno
 saturari ne noctu quidē potuit. Simul autem eius-
 dem uxores, propter quas labores hosce perpeffus
 est, oues pauisse in historijs legimus. Sed & huius
 filij pastores ac operarij fuerunt, multiuarium ser-
 uorum laborem sustinētes. Ad hæc diuinissimus
 Moses quadraginta uitæ annos hoc modo absol-
 uit. Et huius coniux, cū sacerdotis filia esset, oues
 paut, & ab improbis pastoribus huius auxilio li-

Gen. 28.
29. & 30.

Gen. 42.

Act. 7.

berata, ipsi matrimonio iuncta est. Atqui superua
 caneum foret sermonem longius extendere, om-
 nesq; eos e sacra scriptura producere, qui per labo-
 res uitæ huius stadium emensi sunt. Quod si ergo
 non seruorum modo, sed & dominorum proprium
 est laborare, quam ob causam seruitutem propter
 labores accusas? Serui enim ipsos heros laborū so-
 cios habēt, ipsi uero dominorū curis minime par-
 ticipant. Quod si autem labor quidē seruorum &
 dominorū communis est, cura autē dominorum
 propria, qua ratione mouebimur, ne beatos iudi-
 cemus eos qui à curis liberi sunt, sed eosdem mise-
 rorum numero ascribimus? Quoniā itaq; etiam
 hinc summi illius omniū rerū gubernatoris prou-
 dentia demonstrata est, a gedū singula, quæ dicta
 sunt, in unū collecta summarim repetemus, & cla-
 riorē faciemus illorum cōsyderationem.

Demonstratū ergo est, ut unam ab initio natu-
 ram Creator cōdiderit, & eandem ratione libera
 dignatus sit. Deinde, quod hæc libero mentis ar-
 bitrio minime usa in peius declinarit, & in infini-
 tas delictorū species impegit. Legibus ergo pec-
 cati impetum refrenare oportebat, hæc uero legis-
 latores postulabant. Vnde necessario humanū ge-
 nus bifariā diuisum est, & hi quidem ut impera-
 rent, alij uero ut magistratibus obedirent ordina-
 ti sunt, ut scilicet Legū metus & magistratuum ti-
 mor nimiū peccati cursum uel progressionē siste-
 ret. Ciuitatibus ergo principes, uicis uero guber-
 natores, exercitibus imperatores, utrisq; autem Le-
 ges,

ges, nauī nauclerus, athletis pædōribæ præfunt: pueris etiā literator, suis quoq; discipulis coriarius, similiter & faber ferrarius, ijs qui ab ipso artem perdiscere uolunt. Quapropter domū quoq; paterfamiliās præest. Nec enim fieri potest, ut domus aliqua sine paterfamiliās salua sit & incolūmis: quod hæ ipsæ testantur, quæ cū his destituuntur, tantum non prorsus desolatæ uidentur. Simile imperium uel primatū angelorum quoq; populi habent. Nam quod supra caput nostrū est Cælum, non angelos modo, uerum etiā archangelos habere incolas, è sacris scripturis didicimus. Et hi quidem præfunt, illi uero obediūt: atqui illi eum, qui omnis iniquitatis expers est, locū inhabitant. Ad hæc angelorū natura, quæ ut corporum conditione præstat, ita affectibus quoq; cunctis superior est, hunc ordinem nequaquā detrectat: sed hi quidem obediēter parent, illi uero rite & decēter imperant uel præfunt. Quid ergo stomacheris ō homo, cū inter homines ubi plurima est ad malum propēssio, & magistratuum potestatē & huic parentes subditos esse uides? Magistratuum enim gubernationē, tanquam pharmacū quoddam depulsoriū peccati hūlceribus rerum Creator imposuit. Præterea pater liberis imperat, & eosdem petulātius uiuentes corrigit, & modestiæ studiosos collaudat. Pueris item præceptor est, & uir coniugi, & seruis paterfamiliās, qui reliquis obediētiores magisq; industrios probat, & honoribus, imò libertate sæpius dignos iudicat; ignauos uero

THEOD. DE PROVIDENTIA

& improbos castigat, & honestis præceptis instituit. Eundem ordinē inter sacerdotes quoq; communis omnium Deus esse uoluit: & hos quidem sacerdotio dignos iudicauit, alijs uero horum imperium concedidit, quin alios quoq; his inferiores ordines aut classes instituit.

Heri & magistratus iniqui.

Quod si uero dominos aliquos nimium crudes & insolentes admodum esse, similiter & magistratus aliquotius muneribus uendere uidens offenderis, & ideo mihi contradictorium quiddam paraturis, ego prauum illum mentis fortium præripiens dico, quod istiusmodi hominibus non Deus imperium commiserit, sed subditorum nequitia horum imperium sibi ipsi contraxit. Cum enim non aliquem fructum ab ijs, qui bene & honeste rem publicam administrauerunt, percipere uoluerint, sed improbissimis suis moribus omnem illorum disciplinam contumeliose tractarint, diuina cura se ipsos spoliauerunt: Deinde huius consilij & gubernatione destituti, istiusmodi duces & principes receperunt, ut peiores experti meliorum recordarentur, & illorum honestam bonamque disciplinam in memoriam reuocarent. Sed & Deum illum summum propter immensam hominum malitiam & improbitatem habenas sæpius laxare inuenimus, & ut humanum genus pro suo feratur arbitrio, permittere. Id ipsum nos per prophetam docēs ad Izraelem dixit: Et dixi, Non pascam uos: quod moritur moriatur, & quod perit pereat, & ex reliquis deuoret unusquisque carnem proximi sui. Cum ergo magi

stratus

stratus improbi rebus præfident, & heri immanes
 ac diri domus gubernant, summo illi rerū guber-
 natori supplices nos fieri oportet, & uitæ conuer-
 sione morumq; mutatione placidiore efficere, ac
 in auxiliū nobis excitare feruentibusq; precibus,
 ut temporis difficultatē in melius transmutet, infi-
 sere. Quod enim ipse, qui bonus est, & misereri
 naturaliter nouit, imò misericordiæ fons est, eos,
 qui ex sincera mente profectis precibus ipsi oc-
 currunt, exaudire facilis uelit, ipse testis est, qui sup-
 plicantibus auxiliū suum pollicetur hæc dicens:
 Quoniam tu uocabis, ego uero te exaudiā: adhuc *Esa. 65.*
 loquente te, dicam: Ecce adsum. Quod uero nec
 ij quoq; qui iniquissimi sunt, & impietate sua o-
 mnes opprimere conantur, eos ledere possint, qui
 ratione sana utuntur, & pietatis studiosi cultores
 sunt, in sequenti sermone, Deo adiuuāte, demon-
 strabimus. Nunc autem eum, qui publica & pri-
 uata munera hominibus largitus est, & infinitis
 quodammodo bonis genus nostrum affudit, de-
 cantemus. Ipsi sit gloria in æternum, Amen.

Quod hi qui sanæ & bonæ mentis sunt, nihil ex eo lædantur, quod prauis dominis seruiant.



ON equidē me latet magnis admodum tam linguæ quā ingenij uiribus illi opus esse, qui tantum orationis argumentum suscipere instituit: quoniam ita ferē natura comparatū est, ut in uerbis rerum maiestas pericliteretur. Iuxta horū etenim infirmitatem uel uim de rebus iudicare consueuerūt, qui non rerum naturā, sed uerborum potius uim obseruant. Ego uero argumenti uiribus confisus, mentis conceptus, uerba, nequaquā iuxta hoc metiri uolui, nec huius paruos et exiles partus expendi: sed eō duntaxat respexi, ubi ueritatis lux ipsi qui ipsam uidere cupiunt, manifesta est, quemadmodum & Sol ipsi, quorum oculi integri & sani sunt. Et sanē licet nemo defendat, clamat tamen ipsa Creatoris & saluatoris nostri providentia. Nihil ergo absurdum uel reprehensione dignum me facturum putauī, si linguæ meæ officium huius quæ undiq; personat uoci præstarem, ipsamq; obturatis ingratorū hominū insonarem auribus. Atqui paupertatem & opulentiam uitæ nostræ necessariam & utilem esse, tum seruitutem & herilem potestatem ceu pharmaca quædā peccati huculceribus animarum medicū imposuisse, abunde satis, diuinæ gratiæ beneficio adiuti, demonstrauimus.

Quod

Quod autē seruitus ijs, qui huius iugo subiacent, nihil damni afferat, quin potius ijs qui uolūt plurimum proſit, mox Deo ſic uolente demonſtrabitur: hoc enim nos dicturos eſſe, heri promiſimus.

Atqui poterit quis, ſiquidem uelit, etiā omiſſis ueterum exemplis, conſeruos examinare, & multos uirtutis ſtudioſos cernere, qui ſeruitutem beneuole & prompte obeunt, nec ulla neceſſitate compulſi ex animo quod decet faciunt, & dominorum curam ſponte capeſſunt: quos ideo etiam libertate donari, & opum maximarū dominos fieri, ac fideliter peractæ ſeruitutis præmia percipere uidemus. Nō tamen ab inſtituto noſtro alienum fuerit, quosdam eorum, qui olim ſeruierūt, in medium producere, & pietatis theſaurum deregere, quem illi congregauerunt ad eos reprehendendos, qui ſeruitutem uituperare conantur, & hanc maioris blaſphemix cauſam faciunt, dum hinc contra Dei prouidentiam iacula emittere audent.

Primus ergo omniū prodeat primarius ille Abrahami patriarchæ famulus. Hic etenim cum ſenio iam correptus patriarcha, ac naturæ terminū uitæq; finem (ſenectus enim mortis præludium eſt) coram cernens, de filio ipſi mandaret, & ueterum promiſſionum uerbis conſiſus illi eſt propria aut paterna gente uxorē adducere, & Chananæorum cognationem fugere hortaretur: tūc ille (inquam) admiratione dignus famulus, primo quidem diligenter ſingula heri uerba examinat, & iuramenti, quo obſtrictus erat, religionem metuens,

Serui ingenui.

Gen. 24.

summumq; illum omnium inspectorem oculum re-
 ueritus, primo num filium muliere profectio-
 nem detrectante ad patrium solū reducere debeat, qua-
 rit. Cumq; id negaret Abrahā, & puerum non ab-
 ducendum, quin potius Deo qui ipsum uocau-
 rat, confidendū, & illius gubernationi credēdum
 esse diceret: soluit quidem ex herili domo famu-
 lus, & multas stationes emensus, tandē sub seram
 uesperam ad Charras peruenit: ubi camelos qui-
 dem recumbere sinit, quiete nimirū illorum labo-
 ribus mederi uolens: ipse uero donis, quæ secum
 ferebat, & omni diuitiarū splendori longum ua-
 lere renunciāns, manibus in cælum extensis Deo
 supplicat, ut is herili filio p̄nubus esse, & illi puel-
 lam, quæ heri moribus conueniat, despondere di-
 gnetur. Dignum uero est, ut hæc supplicis uerba
 audiamus. Domine (inquit) domini mei Abra-
 ham, ecce ego sto ad fontem aquæ: filiæ autem ha-
 bitatorum urbis egrediētur ad hauriendū aquas:
 & erit uirgo, cui dixero, Declina hydriā tuam ut
 bibam, & dixerit mihi, Bibe, quin & camelis tuis
 hauriam donec biberint: hanc præparauisti seruo
 tuo Isaac. Et in hoc cognoscam quod feceris mise-
 ricordiam domino meo Abraham. Et quis nō ob-
 pietatem hanc uirū admiretur? Quin potius quis
 singula, quæ dixit, digne collaudet? Precationem
 eam uidere est, fide simul & sapientia & pietate or-
 natā. Quod enim omnibus alijs renūciat, & pro-
 fectionis causam diuinæ prouidentiaē cōmittit,
 quis non & pietatis & supernæ sapientiaē opus
 esse

esse dicat. Quod uero domini sui iustitiæ cōfidit, & eum, qui communis omnium Deus est, huius Deum uocat, & propter hunc preces lætū finem accepturas, & petitionem ratam fore sperat, num aliquē fidei excellentissimū gradum sub se relinquit? Quod uero ijs quę petijt potitus est, Dei amīcū fuisse demonstrat. Nec enim tam facile ijs potiri poruisset, nisi in largitorem fuisset gratissimus. Gratiudinē uero hanc animæ uirtus elaborauit. Atqui hunc statim uoti compotem factū esse, docet historia. Priusquā enim finirentur preces, Rebecca aduenit, & hospitalitatis signū exhibuit. Nam cum pauxillum aquæ ab ipsa peteretur, se omnes camelos adaquaturā esse promittit: quin non sine labore aquam hauriens iumentorū simul & hominum sitim restinguit: quo facto & fortitudinis & humanitatis specimen præbens, eius puellæ, quam precationis uerba depinxerant, exemplum plene expressit, & se Abrahamica domo dignam demonstrauit, utpote quæ mentem hospitali foce ro optime conuenientem possideat. Hæc enim fidelis ille famulus perierat: non formā, non corporis staturam, non genarū florem, non oculorum uenustatem, non elegantes superciliorum lineas, non generis splendorem, non diuitiarum abundantia: sed mentem hospitem, mores placidos, mansuetam & modestam facundiam, æquum & humanū animi habitū, & herili domo dignum, quæ ad omnem hospitiū aduētum patebat, uarias excipiebat hominum formas, & omnibus, pro ut

commodū erat, ministrabat. Hæc petijt, hæc accepit. Nec statim nullo adhibito examine uel iudicio arripuit, sed singula eorum quæ fiebant, expendens, uidere uolebat, num dominus prosperauisset uiam ipsius, seu minus. Postquam uero signa quæ petierat, uidit omnia, ne tunc quidē ante gratiarum actionē desponsationis symbola dedit, nec uoluptate uictus largitoris oblitus est. Sed donū coram uidēs, se doni quoque largitorem uidere credidit, & prius pro uirili ipsum collaudauit, deinde hoc modo munus eblatū suscepit. Sciscitatus enim quæ esset, & quibus progenita parentibus, cum & Bathuelis filiam esse, & diuersorū pabulumque camelis sufficiens habere cognouisset, illico adorauit, & dixit: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non dereliquit iustitiam suam & ueritatem à domino meo, & me prospera uia deduxit in domū fratris domini mei. Postquam enim plura quæ postulauerat accepit (nec enim potū solūmodo puella dederat, uerum etiam hospitium ultrò pollicita erat, cibumque tam ipsi quam camelis se exhibiturā esse promiserat, sed et cognitionem omnem, quod non petierat, unā cum his quæ interrogarat, expositam cognouit) quantis potuit laudibus beneficii huius auctori gratias retulit, & diuinis promissionibus ueritatis testimoniū tulit. Benedictus enim, inquit, Dominus Deus domini mei Abraham. Iustus equidē (ait) existis, qui plurimā & magnam piorum curā geris, & tuum promptissimū seruum, meum uideli-

et benignum dominū, omni cura dignaris. Veritatem uero uerborū tuorum res ipsæ prædicant. In liberis enim promissiones confirmas quas domino meo dedisti. Et postquā hoc modo munificentissimum Deum celebrauit, puellæ desponsationis symbola offert. Et aures quidē, utpote quæ hospitem petitiones facile excipiebant, auro exornat: similiter & manus, utpote animæ magnanimitati pulchre subseruientes, eodem uestit. Postquam autem domū ingressus parētes illius uidit, & domini sui mandata exposuit, dei itē auxilium præsens sensit, & seipsum humaniter & studiose (utpote notū iam) tractari conspexit, num dñi sui oblitus est, et à curis stimulatus dominū neglexit? Num propriam quietem & otium seruitio, quod illi debebatur, prætulit? Nequaquam. Sed cum & pater & mater uirginis, tum ille etiam, qui omnium dolorum cum his particeps fuerat, illum ut maneret enixe rogarent, ut puella mox peregre abitura paucis duntaxat diebus frui possent, sic dixit: Ne detineatis me: quoniā Dominus prosperam fecit uiam meam. Dimittite me, ut abeam ad dominum meum. Et sermones suos ubiq; diuini nominis mentione exornat, & bonorū largitionem inde trahit, atq; ea quæ in se erant, ad illius prouidentiam refert. Quid hūc, dic mihi, læ sit seruitus? Et quis nam eorum, qui in libertate enutriti sunt, & liberis parentibus gloriantur, tam eximium de se uirtutis specimen præbuit? Quem (inquam) hic summæ pietatis gradum non attingit?

Porro dicat fortasse aliquis eorum, qui calumnias texere, & optima quæq; reprehendere norūt, quod heri sui philosophia hunc à pueris sic instruerit, & quod in hunc ceu speculū quoddā respiciens inde uirtutis characteres cōtraxerit. Quibus uero mali sunt domini (inquiunt) ij sui quoq; exemplaris formam exprimunt, & malitiæ primordijs inde desumptis, malitiæ & iniquitatis operarij fiunt, dum in seipsis doctores quoq; suos expriment. Sed agedum horū mendacium arguemus, & tam uirtutis q̄ malitiæ possessionem nostri arbitrij esse, famulumq; si in malitia uitā suam transigere nolit, nullis mali domini exemplis aut uiribus cogi posse demonstrabimus.

Ioseph.

In mediū uero pducatur diuinissimus Ioseph, mulieris istius nepos & Abrahami patriarchę pro nepos, qui in uere, in uigore, in temporis parte uegetissima (nā anni partiū uegetissima uer est) qui (inquā) in uere ætatis & in tēporis flore, corporis quidē formā splendidā, animā uero longē splēndiorē habuit. Patri aut charissimus & unice dilectus fuit, nō modo q̄ in senectā natus esset, sed q̄ & moribus illius maxime conueniens patriæ uirtutis esset effigies. Hic postquā somnia illa uidit, & audientibus fratribus patri narrauit, mox ab inuidia oppugnatur, & conuitorum telis, quæ illa pepererat, petitur. Non multo post autem, ut ad se uenientem puerum conspicati sunt, qui somniorum fœlices pollicitationes minus ferre poterant, ut ferē in agnū, qui à grege separatus pastoris ope destituitur,

Gen. 37.

destituitur, irruūt, & nec patris canos reueriti, nec
 eiusdē senectutem puero hoc ceu scipione sufful-
 tam miserti, nec naturæ legem, nec cognationis
 ius, nec eandē illam fraternitatis radicem, nec æta-
 tem teneram & omnis malitiæ expertem, nec in-
 uitū (utpote in somnis oblatū & quauis tunc um-
 bra incertius) imperiū respicientes, tunc quidem
 ipsum perimere, manusq; fraterno maculare san-
 guine conati sunt. At cum Ruben eadē detrecta-
 ret, & tantæ infamiæ notam effugere hortaretur,
 ipsum in cisterna quadā paulisper absconditum,
 paulò post Ismaelitis mercatoribus uendunt, &
 uenditione eadē mitigant, cum in somnis re-
 gnantem ne aspectu quidem dignari possent. Ta-
 les ergo pro somnijs pœnas exoluens Ioseph, in
 Aegyptum deducitur, ubi secundo uenditus Puti-
 phari (qui regionum coquorū princeps erat) tradi-
 tur. Sed in ea quoq; conditione agens patriam li-
 bertatem custodiuit, & maiorum nobilitatem reti-
 nuit, nec animū tempore conuertit, nec morum al-
 teratio calamitates hasce secuta est, nec mentis uo-
 luntatem uel arbitriū instar coloris mutauit. Sed li-
 cet uitæ conditionem subiisset aliam, & ex liberta-
 te in seruitutē esset prolapsus, pristinae tamen sen-
 tentiæ firmiter inhæsit, & in omnibus tam dictis
 quàm factis suis pudorem frontī præluentem ha-
 buit. Quapropter mox omni honore dignus iu-
 dicatur, & herilis domus administrationem suæ
 cōmissam fidei regit. Et heris quidem beneuolen-
 tiam, conseruis autem æquitatem sedulo præstat.

THEOD. DE PROVIDENTIA

Ad hæc erga eos, qui honore illum donauerant, gratus existens, eorum quoq; conuenientē curam gerebat, qui ipsius consilio regendi erant. Vnde tam his q̄ illis charus habebatur. Gratiā enim uirtuti suæ respondentē diuinitus acceperat, imò multiuarios potius laborum fructus percipiebat. Quamobrem quæcunq; faciebat, Dominus prospera reddebat in manibus ipsius. Cæterum mox inde alia illum tempestas excepit, & seruitutis fluctum alia difficilior procella secuta est: & hic qui dem illum deseruit fluctus, ille uero apprehendit. Interim per tantas fluctuum uentorumq; procellas iter faciens nauim ab omni fluctuum inundatione liberam conseruauit. Iuuenis enim (ut modo dictū est) erat ætatis uigore splendens, & ceu flos quispiam è calycibus aut folliculis primū prominens, cuius genas prima lanugo obrepens, & coronæ instar ambiens uestiebat, & facies formæ splendorem decore mixtū, ac ingenuitate temperatum emittens pudorem fronti, suadelam labijs insidentem gestabat. Hæc quogridie uidens hera, cum inde utilitatem aliquam haurire deberet, in intemperantiæ foueam incidit. Vbi uero per aspectus materiā concupiscentiæ flamma intrinsecus in altum excitata est, nec ratio scintillam statim extinxit, ignem qui postea in immensum excreuerat non amplius extinguere potuit. Tunc impudentiam conatus sui sociam assumens, iuuenem uerbis irretire tentauit. Vbi autem quouis reti fortior fuit fera hæc, & fixam sibi retiū indaginem facile transiijt,

transiit, ac sermones quos non sine obtestationibus meretricios & uoluptatū illecebris coloratos promulerat, irriti & inuiles abierunt, tunc uerbis ualere renūcians ipsa re negotium experiri studet. Et thalami solitudinem in facti auxiliū arripiens, iuuenem, quem affectuū seruū non dominum putabat, corripit. Hic uero hominū absentia non confusus est, sed Dei ubiq; præsentem oculum contemplabatur. Et nec seruilem conditionē animo suo uoluit, nec illius imperium timuit, nec calamitatis quam sustinebat atrocitatem expendens affectibus habenas laxare uoluit, quasi uidelicet neminem esse putaret, qui res humanas inspiciat, & iniuste agens puniat. Sed seruituti & herili potestati, uitæ mutationi, concupiscentiæ uiribus, ætatis ardori, sermonibus persuasorijs & nugacibus, quos seruo adhibebat domina, accusatorū absentia, calumniæ item quæ expectāda erat, alijsq; innumeris, quæ inde enasci poterant calamitatibus rationē opposuit. Et primo seruitutis legibus longum ualere renūcians consiliarij & doctoris officium subit, & temperantiæ patronus ac intemperantiæ accusator fit. Ad hæc iuuenis seniori, heræ seruus, nuptæ item (quæ concupiscentiæ ardorem legitimo thoro explere poterat) celebs adhuc, sed grauibus iam concupiscentiæ incurfionibus exercitatus, admonitionem de temperantia institutam adhibet. Dignum uero est, ut hæc quoq; sanctissima casti illius iuuenis uerba audiamus. Si dominus meus (inquit) nihil scit propter me in domo

Gen. 39.

sua, & quæcunq; habet in meas manus tradidit,
 & nihil est in domo hac quod à me excipitur præ
 terre, eo quod uxor illius sis, quo pacto faciã rem
 istam nefariam? peccabo coram Deo. Non uides
 (inquit) quem ipse uideo. Nam tu quidem affecti
 bus ebria es, ego uero ebrietatem illam non admi
 si, qui totius huius machinæ gubernatorẽ uideo,
 qui singula quæ fiunt perspicit. Nec enim huius
 oculi aciem ab ijs, quæ inspicere uult, uel tectum,
 uel murus, uel occlusæ fores prohibent, nec etiam
 noctis tenebræ illius uisum impediunt. Hic men
 tis quoq; cogitationes probe intelligit, & animo
 adhuc conceptos sermones priusquam ædantur
 exacte perspicit. Hunc ego uidens timore & me
 tu tangor, & matrimoniũ, generis nostri fontem,
 & uiæ ad uitam hanc deducentis ianuam, uiolare
 non ausim: cuius beneficium est quod humanum
 genus non deficit, quod idem naturã hanc morte
 aboleri non permittit, sed plantatione sua secãtis
 manum uincit, & germinatione metentis falcem
 superat: quod uerni temporis naturam imitatur,
 quod post eam quæ hyeme facta est prædationem
 apparẽs, quæ per hyemem spoliata & exuta sunt,
 denuo uestit. Iugum subiisti, ô hera. Iugum ergo
 studiose ama. Lora ne dirumpas, nec ea quæ foris
 sunt respice, sed coniugi adherere studeto. Ut cum
 illo agriculturæ aratrum trahas, destinata es. Con
 nubiales leges & naturæ terminos ne dehonestes,
 nec thorum à Deo honoratũ contumelia afficito.
 Ut in alios dominiũ obtineas ordinata es, ne ere

go uoluptatum seruum te facias, nec herilis potestatis ius hac tam nefaria seruitute uioles, nec seruales concupiscentias animæ dominas constitue: ordinem ne inuertas, rationis imperiū ne auferas, nec affectibus habenas tradito. Ego sanè te quoq; affectu hoc liberari cupio. Quod si non parueris, nec ab ebrietate hac liberari uis, ego tamē aliquid hic iniquius agere uel peccare nolo. Corpore enim, non anima, seruus factus sum. Sed aliās quoque nefariæ rei iniustitiā abominor. Cumq; multa uobis, ô hera, beneficia debeam, nunquā certe herum cōtrarijs remunerare sustinebo. Nam cum pecunia emptus sim, domi uestræ natis prælatus sum: & qui heri uel paulò ante domū hanc sum ingressus, nūc omnium administrationē suscepī. Me omniū, quæ in domo sunt, curatorem dominus constituit, & nuper emptū nouitiumq; seruum omnibus præesse iussit. Te solam, matrimonij leges reueritus, intra sui iuris limites consistere uoluit. Quibus ergo oculis tanti honoris auctorem aspiciam, si hanc illi gratiam reuulero? Abominabilis, ô hera, est acceptę gratiæ obliuio & beneficiorū immemor animus. Grauior autem his, imò longe grauißima est iniustitia, & ea cum primis, quæ aduersus benefactorem cōmittitur. Heri opes & bona custodire nõ suffurari iussus sum. Minime igitur prædonem pro fideli custode me effici patiar. Quæ à mei officij iure excepta sunt, non tango: nec Adamū progenitorem imitor, qui cum omnium plantarū & arborum potestati acco

cepisset, in eam tamen manū extendit, quæ sui iu-
 ris & dominij non erat, & dum unicā illam appe-
 tit, ab omnibus simul excidit. Huiusmodi uerbis
 seruus ille apud malā illam heram perorauit. Nec
 illi uel seruitus uel heræ malitia aliquid damni au-
 tulit: quin potius ipsum tanquam aurū aut gem-
 mam aliquā splendidiorem exhibuit. Postquam
 uero dicendo non persuasit, & ui petitus aufugit,
 pallioq; abiectō nudus exiit, solo temperantiæ
 uel castitatis uelamento amictus (nec enim ut A-
 dam post transgressionem pudore suffusus est, sed
 qualiter hic ante delictū circa corporis nuditatem
 affectus fuit, taliter hic quoq; affectus exiuit) tunc
 illa quidem calumnias molitur, uiro persuadet, et
 castitatis insidiatorem uocat, qui eius defensor fue-
 rat. Hic uero heri sententiam tacitus suscipit, nec
 heræ improbitatem prodere cupit: quin potius ca-
 lumniā silentio confirmare mauult, q̄ insidiarum
 Tragœdiam omnem exponere, & heræ intempe-
 rantiam palam arguere. Consiliū enim, quod des-
 cebat, adhibuerat. Sed quasi indicta causa damna-
 tus, nec iudici p̄sens, nec accusationem audiens,
 latam contra se sententiam suscepit, carcerem inco-
 luit, & cū maleficis uinctus est: omnia tamen ad-
 uersa generoso animo sustinuit. Nam assidua illa
 & alternis se uicibus excipiens uariarū calamita-
 rum tempestas, nec animæ institutum abstulit, nec
 fortitudinem eius in timiditatē conuertit. Tāta au-
 tem in aduersis quoq; lætitia & consolatione in-
 fructus fuit, ut & alijs uinctis solatio esset, & si
 quando

quando animo dolentes uidebat, cōsolatione sedula recrearet. Ferè em̄ animæ affectio uultu proditur, & animi motibus non modo faciei color, sed & oculorum motus & superciliorum contractio remissioq; respondent. Et iræ quidē insolentiam oculorum terribilis uisus notat, eiusedē uero gratiosam remissionem palpebrarum rugę risum simulantes arguunt: curas autem superciliorum in medio coitus prodit, & eorundem in altum reflexus fastum ostendit. Quoniam ergo pleriq; animæ motus in uultu prodi consueuerunt, admirabilis ille athleta uultus mutationibus, tanquā quibusdam animæ nuntijs usus, tristes consolari sargebat. Et cū aliquādo duos regios famulos mœstos uideret, pincernarum nempe & pistorū principes (propter commissa enim facinora illic detinebantur) ambos accedit, interrogat & tristitiæ causam inquit, ipse tantis calamitatū undis obrutus, pronepos quidem Abrahæ, Isaaci autem nepos & Iacobi filius, qui illi unice dilectus, instar luminis habitus, unica lætitiæ causa fuerat: nunc autem seruus factus tantam calamitatem passus erat, non quidem à feris barbaris bello captus, sed fratrum inuidia in seruitutem uenditus, qui illum nullius sceleris conuicerant, sed sola insomnia inimicitiae suæ causam & occasionem arripuerant: qui deniq; nihil horum expenderant, nec seruitutem consequentia incōmoda, nec de temperantia habitos sermones, nec damnationē post uictoriā, nec pœnam pro coronis impositā, nec carcerem

THEOD. DE PROVIDENTIA

pro laudis præconio redditū. Ille (inquam) alios animi dolore confectos consolaturus accedit, & concaptiuos suos interrogat dicens: Quid, quod uultus uestri tetrici sunt hodie? Cumq; illi se in omnia uidisse, & interpretationis ignorantia animo turbari dicerent: non in miserabilem luctum diuinus ille uir erupit, ubi somniorum mentio facta est, nec propriæ calamitatis & infortuniij recordatus plorauit, nec ignobiles emisit lachrymas, nec eiulauit, nec affectuum Tragœdiam in medium produxit: sed etiam nec immensum risit postquam de somnijs illi dixerunt, quorum mendacium & uanitatē antea manifeste perspexerat, nec captiuus dixit: Ignoratis, ut uidetur, ô amici, quæ sit somniorum uanitas, & horum dolos antehac (quantū conijcio) non experti illorum interpretationem desideratis: ego autem experientia magistra edoctus uos hæc ridere iubeo: nihil enim ueri illa prædicant, sed omnia ueritati contraria nunciare solent. Olim equidē somnijs fidem habens, me fratribus imperaturum, & paternæ domus principem futurū speraui, at non modo imperium non assecutus, uerumetiam libertate spoliatus in miseram seruitutē redactus sum. Et nec seruus quidem secundis fortunæ flatibus uectus sum, sed & illic infinitis implicatus infortuniij procellis carcerem inhabitare cogor. Nequaquam ergo uos nocturnæ phantasiæ obrurbēt. In somniorum genus à ueritate alienissimū est. Nihil horum dixit Ioseph, imò ne cogitauit generosus ille uir,

quin

quā sic ait illis: Nōne per Deum horum mani-
 festatio est? Annūciate ergo mihi. Et ubiq; Dei no-
 men circumfert, & hoc animam simul atq; sermo-
 nes suos exornat. Ac cum interpretationem Dei
 esse dicit, aliquid in hac audet, ut qui se diuinum
 quoddam adytum parauerat. Ipse uero interpreta-
 batur, & quæ ænigmatis speciem præ se ferebant
 ac obscuriora erant, explicabat. Postquam uero in-
 terpretationem absoluit, pincerne dicit: Cæterum
 memento mei, cum bene tibi erit: quoniam furto
 sublatus sum de terra Hebræorum: & hic nihil ma-
 li commisi, & in lacum domus huius coniecerunt
 me. Et nec ipsa necessitate iubente fratrum malitiam
 detegit, sed furti prætextum infert, ac in eos, qui
 ipsum seruitutis iugo subiecerant, ne uerbo qui-
 dem stomachari studet, sed ingenito sibi pudore
 iniustitiam ipsorum tegit: nec fratres solummodo
 accusare non uult, sed nec heræ suæ nequitiam igna-
 ris huius manifestauit: & cum tantam illius petu-
 lantiam, lasciuam, mendacium, calumnias ac in-
 sidias probe perspectas haberet, nihil quidem ho-
 rum in medium adduxit, sed simplicem duntaxat
 sui excusationem protulit. Quoniam furtim (in-
 quit) raptus sum de terra Hebræorum, & hic nihil
 mali feci, & coniecerunt me in lacum carceris hu-
 ius. Inspice uerborum philosophiam: inspice men-
 tis magnanimitatem. Inspice liberam & imperter-
 ritam sapientiam. Inspice animam semper sibi si-
 milem, quæ nec prosperitate effertur, nec infortu-
 nis deijcitur: sed omnia simul tam tristitia quā iu-

cunda uitæ huius deridet, solam uero uirtutē miratur, & hanc exequi studet. Quid ergo abominabilis illi nocuit heræ improbitas? Quid illū eiusdem nequitia læsit? Minime ergo pronuncies do minorū iniquitatem seruis nocere. Nam fieri potest, ut qui malis heris seruit, malitiæ imitationem pro uirili effugiat.

Gen. 42.

Vt uero intelligas nec herilem potestatem malitiæ magistram, nec diuitias uitiorum authores esse, illum ipsum manumissum iam, & secundum à rege factum inspicere: qui throni maiestate non effertur, sed principatum mansuetudine temperat, & imperium non nisi curam esse docet. Qui (inquam) fratres mortem sibi molitos coram uidet, non tamen interficit, & somniorū quidem recordatur, inuidiæ autem inde exortæ obliuiscitur. Fames enim fratres in Aegyptum traxit, & necessitas quem ignorabāt adorare coegit: tunc illorum conatibus oppugnata insomnia per eosdem insidiatores impleta sunt. Quibus fratrem propter somnia uendiderāt, ne ipsum aliquādo, ut somnijs prædictum erat, adorarent, uenditione sua adorationem promouerūt. Venditus enim seruiuit. Seruum agens calumniam sustinuit. Calumnijs accusatus carcerem inhabitauit. In carcere detentus aulicis somnia exposuit. Hinc regi notus fit, quē somnijs turbatum omni cura liberat. Cumque ea euidenter interpretatus esset, & quod faciendum erat consulisset, eorum quæ consuluerat administrator electus est. Ibi frugum abundantia futuram terræ

terræ fertilitatem temperat, & fertilitatē in famis
 remedium reſeruat: & non Aegyptiorum modo,
 ſed & fratrum nutritor fit, qui ipſum alijs deuoran-
 dum propinauerant. Vere itaq; illum adorant, quos
 ſomniorum inuidia exagitauerat, quiq; in ſomnis
 factam adorationem admittere noluerant, ueram
 adorationem perficiunt. Hic uero adorari quidem
 ſe patitur, fratribus autem non paria refert, ſed alit,
 curat & frumentum gratis largitur. Poſtremo uerum
 fratrem conſpicatus, & inſidiarum fabulata
 texens, ubi illos pro puero decertare, & uetuli pa-
 tris ſalutem propriæ libertati præferre uidit, depo-
 ſita quam ſumpſerat perſona, omnibusq; præto-
 rio exite iuſſis, Ego (inquit) ſum Ioseph frater ue- Gen. 45.
 ſter, quem uendidistis in Aegyptum. Et ne ſubito
 timore percuſſi apoplexiæ diſcrimen ſubiret, mox
 infert: Et nunc ne timeatis, nec id uobis durum ui-
 deatur, in uitam enim miſit me Deus ante uos.
 Quia enim illos omni excuſatione deſtitutos, &
 linguam ipſorum peccati conſcientia aſtrictam no-
 uerat, ipſe infinitas hæc aduerſitates paſſus, accu-
 ſationem quidem omittit, excuſationem uero in-
 fert. In uitam enim miſit me Deus ante uos, ut ale-
 retur populus multus. Non ueſtrum (inquit) ſed
 Dei hoc opus eſt. Nec mea uobis doleat ſeruitus,
 quæ Dei eſt adminiſtratio. Timorem deponite: ni-
 hil hinc difficultatis euenit. Per ſeruitutem totius
 Aegypti imperium conſecutus ſum. Per hæc ſecun-
 dum à rege locum teneo, & mihi tantæ gentis ha-
 benæ commiſſæ ſunt. Talis hic fuit & ſeruiens &

regnās. Talis in prospera & aduersa fortuna. Talis cum affligeretur & prospere ageret. Proinde nec opes, nec imperium, nec paupertas, nec seruitus malitiam pariunt: sed ubiq; mentis arbitrium regnat. Quod uero seruorū uirtuti dominorum malitia nihil noceat, ex alijs quoq; exemplis facile disci potest. Quis eorum, qui sacris literis instituti sunt, Achabi malitiam & Iezabelis impietatem, adeoq; contra Deum cōceptam rabiem ignorat? Nihilominus tamen iisdem illis Abdias seruiens, & officium quoddam ab illis commissum administrans, non modo herilia uestigia non secutus est, sed longe aliā ab his uiam est ingressus. Nam hi quidem contra Dei prophetas insanientes omnes maētari præceperant, & seruorum Dei interneccionem uoluptatis loco ducebant, in hoc incumbendo, si fortē pietatis scintillam omnino extinguere possent. Hic uero prophanos dominorum conatus oppugnabat, & in hoc erat ut pietatis flammam saluam seruare posset, centumq; prophetas in duabus speluncis absconditos, alebat, cum grauissima fames, quam Helias hominibus induxerat, impietatis pœnas ab ipsis exigens, reliquam terram omnem occupauisset. Atqui illum nec belluina dominorū mens perterrituit, nec piorum cædes timore percussit, nec famis tyrannis & alimentorū penuria eum circa prophetarum curam parciozem reddidit: sed illorum quidem crudelitatem abominabatur, his sufficientem uictum afferebat, illorum salutem propriæ securitati præferens,

2. Reg. 17.
28. 19.

ferens, & uitam, quæ sine illis transigenda esset, mortis loco ducēs. Et in ijs quidem, quibus Deus oppugnabatur, nequaquam debitum officiū heris suis detulit, leges uero contra uniuersalem omnium creatorem promulgatas, ridēdas putans, harum quidem authores odio habebat, eorum uero qui iussa exequi cogebantur, miserebatur: & cum istud obsequium summā putaret perniciem, quos perdere iussus erat, salute dignabatur: mortem uidelicet pietati iunctā uita impia honestiorem iudicans. Proinde nequaquā illi abominabilis herorum impietas nocuit, sed eorundem malitia insignem omnibusq; cōspicuum reddidit. Nihil enim animo pietatis studio destinato firmitus, nihil anima, quæ uitijis seruire non uult, uehementius ac robustius. Sed nescio quid mihi accidat, dū optimorum uirtus sermonem urgēs illum æquo longius extendere cogit: agedum ergo ulterius hunc protrahētes ad aliud exemplū transeamus.

Sedechias quidam ultimus Iudgorum rex fuit, ^{4. Re. 24.} qui & ipse graui impietatis morbo laborauit, & ^{25.} diuini uerbi oracula audire non sustinuit. Hic diuinitissimum Ieremiam, qui tūc temporis prophetam agens Dei oracula hominibus reddebat, in cisternam graueolenti cœno fœtidam demisit, eo quod tristitia ualde & molesta fata prædiceret. Sed Abdimelech quidam famulus Aethiops Eunu- ^{Iere. 34.} chus, nec aulæ regiæ fastum, nec regnantē in hac impietatem, nec contra prophetam conceptum furorem, nec seruitutis miseram conditionem ani-

THEOD. DE PROVIDENTIA

mo uoluens & meditans, iniustam regis sententiam reprehendit, iniquissimum uero in prophetam patratum facinus accusat, & summum rerum omniū inspectorem monstrat, aulamq; iusta pœna perterret. Atq; regis consiliarius fit famulus, uiri eunuchus, inquilini alienigena, Israelitæ Aethiops, quiq; è Cham oriūduS erat eius qui genus ex Sem deducebat. Sed & regem pijs sermonibus persuadet, prophetamq; ex amaro isto, obscuro & graueolenti carcere liberat, ac toto obsidionis tempore sufficientem illi uictum largitur. Tum à Deo benedictionem pietatis præmiū accipit, & cum capta urbe aulici cæderentur, hic iuxta Dei promissionem salute fruitur. Constat ergo qd bonis famulis non modo non nocent mali domini, sed quod illi magnā quoq; ex ijs utilitatē percipiunt. Et hoc aliunde quoq; uidere licet. Postquam enim urbs illa propter multā iniquitatem uastata est, multisq; bello absumptis, reliquos in Babylonem captiuos Chaldæorum rex abduxit: deinde selectos eos, qui è nobilioribus nati corporis forma splendebant inter regiam habitare iussit, regijs nimirum obsequijs exequendis destinatos: prius uero corporum ualetudinē infirmiorē, quam ex obsidione & profectioe contraxerant, lautiori uictu, cibus item & opsonijs à regia mensa ablatis, exuere uel curare præcepit: illic mihi diuinorum illorū iuuenum generositatem inspice. Nec enim urbis excidiū, nec diuini templi incēdium, nec adytorū & sanctissimorū locorum uastitas,

Dan. 2. 3. 4

uastitas, nec sacra uasa barbarorum manibus direpta, nec regum cædes, non sacerdotum mactatio, non tam procul à sanctis remota sedes, non peregrinatio in aliena terra, non doctorū inopia, non dominorū impietas, non seruitutis necessitas, non graue regis iugum, non ætas tenera, non uitæ desiderium, non mortis metus, non quiquam horum aliud persuasit, ut uel paululum delinquere, & legis mandata transgredi uellent. Sed eum, cui illorum imperiū commissum erat, obsecrant, ut leguminum cibū illis largiatur, regias epulas abominati, & omniuarias illas conuiuiorū lautitias exosi. Has enim idolorū appellatione pollutas uidebant. Tanta autem animi fortitudine, amore item & fide erga patrium Deum præditi fuerūt, ut suo procuratori pollicerentur, legumina ipsos splendidiore factura ijs qui regijs cibis alerentur. Nec spe sua frustrati sunt, sed fidei fructus perceperūt. Omnibus enim alijs qui splendide epulati fuerāt, integriores, habitiores, forma præstantiores & corporis uiribus ualidiores apparuerunt, sicut polliciti fuerant. Postquā uero tempus procedēs ipsos ad uirilem ætatem perduxit, ubi uirtutis suæ specimen dederunt, indigenarū rectores cōstituuntur, qui bello capti fuerant: ubi mox aliud rursus illis aperitur stadium. Arrogans enim ille & scelerum fastu patrem imitans, maximam illam statuam ex uaria materia & auro conflata erigit: omnes uero imaginem ceu Deum adorare iubet. Hanc autē adorare nolentibus supplicium decernit caminum,

THEOD. DE PROVIDENTIA

quem alimenti insatiabilis rabie ad summū augebat. Tunc sanè multi quidem regi gratificari uolentes iussa fecerunt, multi uero quod alias solebant facientes cultum hunc ceu aliij cuiusdam idolo obtulerunt: erant item qui ignis metu animas proiecerūt, & licet conscientię stimulis agitarētur, diuinum cultum tamen ad imaginem transferebant. At generosi illi & nobiles animi, Ananias nempe, Azarias & Misael, illi inquā legis alumni, Abrahamicę fidei hæredes, pietatis athletæ, gratię præcursores, fidei propugnatores, corporibus quidem serui, animis autem liberi, captiui illi animabus autem ipsis regibus excellentiores, nō modo uolentes non adorarunt imaginem, sed accusati quoq; nullam prorsus excusationem afferūt, quin palam se adoraturus negant, & alta uoce clamāt:

Dan. 3. Est Deus in cœlo, quem nos colimus, qui nos poterit liberare ex camino ignis ardentis, & ex manibus tuis, ô Rex, liberabit nos. Quod si minus, notum tibi sit, ô Rex, quod Deos tuos non colimus, & imaginē auream, quam statuisti, non adoramus. Nec em̄ pro mercede Creatori seruimus: nec salutem pietate emimus, nec omni qualicūq; oblata ratione uitam seruare cupimus, sed domini uoluntatem amamus: qui si ex aduersis liberet, gratias agimus: & si illis nos incidere permittat, adoramus. Nam quod nos quidem omnibus supplicijs, quæ tu minaris, superiores reddere possit, nobis minime dubium est: num uero idem uelit, nescimus. Inaccessa enim est diuinæ prouidentię altitudo.

altitudo. Nihil ergo cūctare, quin præparatis pruinis nos tradito. Nobis em̄ pietati coniūcta mors, uita impia suauior est. Et hi quidem hæc dixerūt, ipse uero nequaquam annuit, quin camino iuuenes transmisit. Porro ignis ferrea quidem uincula dissoluit, ipsos uero seruauit incolumes, nec ausus est datum sibi alimentū contingere, quin fugit & terga dedit, ac proprios inuasit cultores: Dei uero seruos illætos custodiuit. Et sanè nouum & præter omniū expectationem eueniens spectaculum contigit. Qui enim in medio ignis erant, & pruinis inambulabant, ignis uires non senserunt aliquas. Qui uero foris steterunt, ac camino materiã seu alimentū præbuere, ab igne consumpti sunt. Et hi quidem incensi ac ardentes eiulabant, illi uero hymnos canentes tripudiabant, & creaturam omnem in hymnorū communionē uocabāt, atq; elementa ab infans adorata benefactorē laudare iubebāt. Tanta autem illius miraculi uirtus erat, ut & ipse arrogans & furibūdus tyrannus accurreret, eosq; qui imaginis culturam detrectauerāt, adoraret, & ut omnes subditi horum Deum colerent, mandaret.

Similiter & magnus ille Daniel, qui eandem cum his calamitatem sustinuit, bello captus licet, & inter barbaros uitam agere coactus, patriam tamen legem diligenter custodiuit, & secundū hanc cōmissum sibi publicū munus administrans, animam puram ac synceram conseruauit, tantumq; uirtutis splendorem emisit, ut & immanē ferumq;

THEOD. DE PROVIDENTIA

tyrannū illius fulgore percelleret: & primo quidē quæ ignorabantur somnia manifestavit, deinde quod opus erat exposuit, & quod utile futurū erat monstravit ac monuit. Et quid nam omnia, quæ ab hoc egregie gesta sunt, dicere attinet? Quomodo nimirū rex, ne quis precibus Deo supplicaret, prohibuit. Quomodo hic, cū prius rite orauisset, idēq; clam, postquam impia lex rogata est, Deum palam precatus sit, & legem deridens, & legislatorem contemnēs. Quomodo item leonibus proiectus sit. Quomodo hos quoq; pietatis radijs teruerit, ac diuinæ imaginis lineamentis ceu frenis quibusdam rabida illorū ora constrinxerit. Quomodo ad miraculi contemplationē impiū regem pertraxerit. Vt ipsum docuerit, quod Hebræorum Deus omnium creator sit & dominus. Quomodo præterea idolorū fraudes arguerit. Singula enim horum ex historijs cognoscere licet, & manifesto intelligere, quod fieri possit, ut qui malis dominis seruiunt, nullā inde malitiam contrahāt, sed summum uirtutis fastigium apprehendant, tum hos quoq; errore liberent, ad ueritatis cognitionē perducāt, & multis alijs salutis exemplar sint propositi. Nemo igitur uel seruitutem accuset, uel malorum potestatem ac dominiū seruorum uirtutē uincere existimet, sed ubiq; dei providentiā aspiciat.

Sed dicat fortasse aliquis: Qua nam de causa eos qui iniuste uixerāt summus ille omnium Deus Babyloniorū regi subiecit, simulq; iustos quoque captiuos duci passus est? Et quale nam hoc prouidentia

dentia

dentiaꝝ opus? Quale iustæ sententiæ exemplum? Quæ non in his est inordinata & confusa rerum conditio & peruersio? Cæterū hæc dicere conantur, qui diuinæ gubernationis abyssum ignorāt. Initiati autem & qui diuinorū mysteriorum gustum aliquem perceperunt, horum causam simul & radicem nouerunt. Delinquentiū enim curam gerit, & eosdem castigat Deus ille hominū amantissimus, nec quenquam mortaliū neglectum relinquere uult. Quapropter iniquos in captiuitatem mittens, simul cum ijs quasi pædagogos & magistros misit, uirtutis studiosos homines, ut ceu lucerna quadam illuminati ac deducti iuxta illorum uitam & sermones rectam semitā aliquo modo ingrederentur. Porro quod horum captiuitas non contribulibus modo salutis causa fuerit, sed & alienigenas Dei cognitione illuminauerit, historia abunde satis testatur. Si itaq; ipsi per certamina claruerunt & insignes facti sunt ac conspiciui, posterisq; salutis exemplar reliquerunt, concaptiuis autem salutis fuerunt argumentū & causa, sed & barbaros iuuerunt, dum pietatem exacte custodiunt, & per hanc magna miracula ædunt, quid prouidentiam, hæc tam sapienter instituentem, accusas? Cur non potius animarum œconomum, & mundi gubernatorem, qui omnia tam sapienter & commode dirigit, hymnis celebras? Ego itaq; ex diuinis oraculis demonstraui, quod possibile sit, ut qui malo heri seruit, malitiam fugiat, uirtutem consequatur, & heris quoq; multas

salutis occasiones offerat. Tu uero eos qui nunc cōserui sunt inspice, & multos uidebis, qui intemperantibus quidem seruiunt, intemperantiam autem abominantur, & temperantiam colunt, nec quicquā uitij ex dominis contrahunt, sed eorum, quos modo recensuimus, uitam imitantur. Quare cum tam ex ijs quæ dicta sunt, quàm ex ijs quæ uidentur, naturę nostrę arbitrium liberum edoctus sis, & diuinę prouidentię sapientiam didiceris, palinodiam cane, & quam modo præmisisti blasphemiam in hymnum conuerte, ac linguę tuę soni, qui modo cōtra Deum editi sunt, in Dei gloriam cedant, & prouidentiam Creatoris, Christi Dei nostri, decantēt. Ipsi gloria in sæcula, Amen.

SERMO IX.

Quod iustitię studium infrugiferum non sit, etiamsi fructus eius in præseni uita nullus appareat: tum resurrectio rationibus è natura desumptis probatur.



I salubrem illam admonitionem omnes audire dignarentur, quę diserte clamat, Difficiliora te ne queras, & altiora te ne scruteris, quæ præcepta tibi sunt hæc cogita: non equidem multis uerbis opus esset, dum Dei, quæ circa omnia uersatur prouidentiam demonstrare uolumus. Procliue enim & facile erat ijs, qui superuacanea & uana illa curiositate

fitate liberati sunt, hanc omnium gubernatione occuparam, & sapienter omnia administrantem inspicere. Quoniam uero multi uolentes uidere nolunt, sed oculos claudunt, & aures obturant, uocemque undique illam audire dedignantur, & quaecumque à Deo bene & pulchre fiunt, suggillant, blasphemis lacerant, conuicijs proscindunt, & infinita quaedam connectunt, dum falsas accusationes contexere student, non immerito equidem (meo uidere) illorum, quam contra prouidentiam effuderunt orationem excepimus, hanc scilicet calumniam, non dignam aliquam aut iustam causam esse demonstrare instituentes: Et sane prouidentia, quam illi oppugnant, in auxilium uocata, illaque in defensionis nostrae aciem primam constituta, octo iam sermones emensi sumus, dum ingratorum blasphemiam arguimus. Et ingratitude horum accusatores simul & testes in medium produximus Caelum, terram, mare, aerem, & quaecumque his continentur corpora, animata & inanimata, rationalia & irrationalia, uolatilia & pedestria, aquatilia & amphibia. Ad haec humani quoque corporis fabricam: quaeque in singulis membris relucet Dei sapientiam & prouidentiam. Tum diuinum illud rationis donum, cuius beneficio agriculturam, nauticam, medicam & Grammaticam scientiam, & omnes alias uel artes uel scientias, quae hominum uitam iucundiores reddunt, humani ingenij natura repperit. Praeterea Dei auxilio animalium tam sicurum quam syluestrium uiam, diuitiarum & pauperum

ratis fructum, seruitutis & herilis potestatis necessi-
 fitatem demonstrauius. Ad hæc, quod serui nul-
 lam à malis dominis noxam aut damnū sibi con-
 trahant, siquidem ipsi melius sapere uelint. Et ho-
 rum quidem demonstrationes è sacræ scripturæ
 adytis produximus. Acerbis autem illis prouiden-
 tiæ accusatoribus, eorum, qui nunc seruiūt, in-
 sitionem considerationē me reliquimus. Nam et
 nunc multos uidere est, qui cum malis heris ser-
 uiant, non modo herilē non imitantur malitiam,
 sed illam plurimū abominantur, honestatem am-
 plectuntur, & diuersam à dominis uiam ingredi
 solent. Sed aliam fortassis hic ansam arripiēt, qua
 diuinam accusare possint prouidentiam: & uirtus
 alumnos frustra laborare, in petris seminare,
 & (ut prouerbio dici solet) cribro aquam hauri-
 re, multaq; huiusmodi facere dicēt, cum nullis in-
 de bonis fruantur fructibus. Alij equidem (in-
 quiunt) cū paupertate conflctantur, & ærumnis
 destinati maximam uitæ partem peragūt. Alij ue-
 gro graue seruitutis iugum trahūt, & assiduis sub-
 iacent laboribus: quodq; his omnibus molestius
 est, multi malitiam exosi malis dominis seruire co-
 guntur. Quam ergo isti mercedem referūt? Quas
 uirtutis retributiones? Quæ laborū præmia? Quis
 sudorum fructus? Qualia certaminū horū brauiā?
 Nec enim omnes qui serui facti sunt, libertate tan-
 dem potitos esse uidere licet: nec omnes, qui pau-
 pertate pressi, uirtuti operam dederūt, in diuitem
 catalogum trāsuisse cernimus: sed plures in prio-
 ri illa

si illa miseria perseuerauisse constat. Atq; tu, ô mi-
 er & abiecte homo, uentre, genis & supercilijs
 fœlicitatē metiri soles: & beatitudinis finem esse
 arbitraris, alto curru uehi, satellites item, uestem
 splendidam, equos ad pulchritudinē exercitatos,
 frontibus & antilenis pulchris insignes, præco-
 nem clamantem, domū alto surgentem fastigio,
 et statuas Euboicis Thessalicisq; lapidibus floren-
 tes, pictoriaq; arte uariegas, toros deniq; anu-
 los, suppellectilia, pocula, uina odorifera, conui-
 uium Siculum & Sybariticum, & quæcunq; alia
 mollem, otiosam & delicatā uitam efficiunt. Hæc
 uero omnia, quicunq; uere sapiat non modo fœ-
 licitatem esse negat, sed extremam infœlicitatem
 & miseriam nominare consueuit. Nec enim diui-
 tias in hunc finem summus ille rerū administra-
 tor concessit hominibus, ut intemperantia has di-
 lapident, & malitię irritamentū faciant: sed ut has
 rite dispensando, & ipsi rebus fruantur necessarijs,
 & egenis ex illarum abundantia largientes, eas
 temperantiæ & iustitiæ materiam reddant. Nec
 Deus solummodo hæc ita instituit, & sancti uiri
 dominū sequētes intra positas sibi metas se liben-
 ter continent, sed & uos qui extrema laboratis in
 gratitudine, eos uituperare soletis, qui tam male
 diuitijs utuntur: quin potius hos uenia dignos iu-
 dicatis, in summū uero rerum omnium governa-
 torem blasphemias expuitis, ut qui malis homini-
 bus diuitiarū copiam fecerit. Proinde uobis quo-
 que ea est sententia, quod istiusmodi uoluptas ne

quaquam foelicitas uocanda fit, sed iustam ac temperantem uitã laudari, & suprema laude dignam iudicari, & siue inter diuitiarum abundantia, siue in paupertate comparuerit, paribus coronis exornari debere censeris. Sed existimo quod uos quoque eos qui in paupertate uirtuti operam dant, ut pote maiori patientia claros, duplici corona ornaturi sitis. Atqui nõ hæc merces dei cultoribus proposita est, nec ad hanc retributionẽ respiciunt, qui diuinarũ legum studio tenentur. Hominũ nempe laus multis sc̄penumero nocet. Alacritatem enim remissiolem facit, & cursui obstat: & arbitratus aliquis se ad cursus metã peruenisse (hoc enim laus persuadere solet) currere desinit, & uictoria excidit. Id ipsum deus quoq; omniũ dominus per prophetam innuens dixit: Popule mi, qui uos beatos dicunt, seducunt uos, & semitã pedum uestrorum turbant. Laudibus enim alacritatem uehemẽtem dissoluunt, & metã apprehendere non sinunt. Et sic beatus ille Paulus cucurrit, nec laudantibus se, nec conuitiantibus aures præbens, sed ea quæ à tergo sunt (inquit) obliuiscens, ad ea uero quæ à fronte sunt enitens, iuxta præfixũ signũ insequor ad palmã supernæ uocationis. Proinde eam quæ ab hominibus proficiscitur laudem, nequaquam laborũ mercedem iudicant diuinarum legum custodes, sed diuinas promissiones expectant, certaminum suorũ præsidem operiuntur, coronas immarcessibiles & diuinitus donanda expectãt brauia, iusti (inquam) iudicis sententiam expectant,

nempe

Esa. 3.

Phil. 3.

Que piorũ
merces.

nempe corporum resurrectionē, ascensionē in cœ-
 los, gaudium cum angelis, & ante omnia hæc assi-
 duum & indefinentē eius quem tanto amore pro-
 secuti sunt, conspectū: propter quem uitę pelagus
 trañcientes malitię fluctus superauerunt, & per
 multos labores enatando submergi noluerūt, sed
 portus desyderium laboribus coniugantes, infir-
 mitatem fulcierunt. Portū uero habent qui sum-
 mum apprehenderūt uirtutis fastigiū, non uitam,
 non resurrectionē, non aliud quiddam eorū quę
 grata sunt, sed eum ipsum quem desyderauerunt,
 propter quem ærumnas deliciarū loco habuerūt,
 & laboriosam operationē suauissimū somnum,
 uitamq; in deserto urbium in habitatione iucun-
 diorem, uitā in paupertate ea quę in diuitijs tran-
 sigitur splendidiorē, & amarā seruitutem omni
 dulciorem tyrannide iudicarunt. Hanc inquā uir-
 tutis operarij mercedem expectant. Hæreditas e-
 nim est colētib; dominū, ut Esaias propheta cla- Esa. 55.
 mat. Testatur etiam beatus Dauid gratissimū hy-
 mnum honorū largitori contexens & dicens, Hæ Psal. 60.
 reditatem dedisti timentibus nomen tuum domi-
 ne. Qualia nimirum & Christus dominus in san-
 ctis euāgelij; hoc modo enumerat: Beati (inqui- Matt. 5.
 ens) pauperes spiritu, quoniam illorū est regnum
 cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi hæreditabūt
 terram: & reliqua quę sequuntur, facilius, qui uo-
 let, sacros libros euoluens, discere poterit. Eadem
 enim in talentorū quoq; distributione inueniet, Matt. 25.
 & in decē uirginū parabola, & in figurata agno-

Matt. 13.

rum & hœdorum segregatione, & in seminatore, qui zizania recepit, & in sarena quam in mare demiserunt piscatores, indiscriminatim uero pisces capientes, postea illos apte segregauerunt. Cæterum innumera huiusmodi in apostolica doctrina inuenire licet. Hæc itaq; studiosis inquirenda relinquens, ut quæ sermonem æquo longius extenderent, ad continuã orationis materiã transeo. Nam & alioqui superfluum & ab instituto alienissimũ uirtutis remunerationẽ e sacris literis demonstrare. Fideles enim qui Deum omnium esse credunt, nostris uerbis nequaquam indigent, sed fidei oculis contenti sunt, & oraculorũ a Deo inspiratorum doctrina. Infideles uero & incredulitatis tenebris obfessi, ac ingritudinis morbo in Creatorem laborantes, diuinæ scripturæ oracula audire dedignãtur. Quamobrem omiſſis ijs quæ inde desumi possunt demonstrationibus, physicis rationibus illos confutabimus.

Virtuti sua
est retribu-
tio.

Interrogamus itaq; ipsos, num temperantiã & iustitiam reliquasq; uirtutis partes, bonas & bonorum causas esse existiment, uel num has uitij connumerent? Atqui hoc nec ipse uitiorum pater unquam dicere ausus est. Quo ore enim, qui harum cultores quotidie oppugnat, & temperantiæ quidem intemperantiã & iustitiæ iniustitiã opponit semper, hoc diceret? Necessè ergo est, ut & ipsi idem cum suo magistro confiteantur, nec malitia eius parentem uincere conentur. Nec enim est discipulus supra magistrum, iuxta domini uocem.

Matt. 7.
Luc. 6.

Rursus

Rursus ergo illos interrogabimus: Si ergo hæc honesta sunt, & honestorū honestissima, & bona bonorum omniū optima, nec quisquam nisi ualde delirans, & ratione destitutus his cōtradixerit, horum utiq; cultores honestos & bonos nominare conuenit, sed & fructū habere, non modo laboribus æqualem, sed multo quoq; uberiolem. Quomodo enim non absurdū uideretur, agricolā qui semina telluri mandat multiplicē inde fructuum prouentum referre, similiter & hortulanum arbores inserentem fructus enatos consolationis loco habere, eos uero, qui uirtuti uacāt, & diuini illius paradisi cultores sunt, multumq; sudorem, labores plurimos, & curam diligentē in plantas hæc conferunt, solos laborem obire infrugiferum, & sudorem suo carentem præmio sustinere? Eteos quidem, qui uel corpus, uel uocem cantando exercent, coronis frui & brabia accipere, & spectatorum applausu redimiri: uirtutem uero athleticā & pugilum arte inhonoratiorem uideri? nec spectatores, nec certaminum præmia statuentem præfidem, nec honorem, nec brauium, nec coronā habere certamen hoc longe maximū? Atqui Tragediarum & Comædiarum Mimi habent, cuius respectu artem exercent, & coronarum spe labores sustinent: & curruum aurigæ pericula audacter subeunt, dum & uictoriā sperant, & spectatorum laudes expectant, simulq; ab equorum nutritoribus mercedem recipiunt: atq; gubernator portus respiciens fluctibus congregari audent, & lucri cupi

THEOD. DE PROVIDENTIA

ditate refocillatus procellarum impetus sustinet: præterea sutor & faber omniscq; qui artem exercet aliquam, laborū finem expectat, & cōmodi spem labori, qui circa artē sustinendus est, ex æquo conferens, uoluptate sudoribus permixta afficitur: Solam uero uirtutum, uel artem uel pugnandi certandiq; scientiam, uel agriculturam & plantationem (nam hæc illi omnia conuenire possunt nomina) non habere finem aliquem bonum putabimus, qui laborum tempore consolationē afferre possit. Sed frustra quidem temperantiæ student temperantes, & multis uarijs affectibus resistunt, dum horum ardorem extinguere conantur. Frustra uero iustitię cultores cum iniustitia colluctantur, dum alienis abstinent, & proprias opes profundū. Inutilis item fortitudinis est possessio suis cultoribus, qui licet aduersa quæ imminet generoso animo sufferant, agonotheatā tamen nullum habent. Sed non sunt hæc, non sunt. Admirabilis enim est, & digna acquisitu uirtutis possessio. Et hoc uos quoq; dicetis conscientię nimirū necessitate compulsi. Naturaliter enim hæc notitia hominibus ingenita est, nec quisquam eorum, qui hac possessione potiti sunt, alijs aliunde aut diuinitus allatis, uel ab hominibus adductis rationibus indiget: ingenita enim nobis ratio ad horum doctrinam sufficit. Testantur id ipsum uitiorum operarij, qui & clam illa patrare, & deprehēsi apologiam, qua se defendant, moliri consueuerunt. Nam murorum & sepulchrorū effossores, fures, adulteri,

adulteri, homicidæ, & quicumq; alia huius generis facta patrare audent, tenebrarum ope usi, hæc facere conantur. Si quis uero hæc interdum facere tentet, solitudinem uel hominū absentiam sibi seruientem obseruat. Illo ipso itaq; quod latere student, ostendunt quid ipsi de facinoribus suis iudicent. Nec enim latere uellent, si se bona agere opinarētur. Cum uero latere conentur, & deprehendi metuant, ea quæ ab ipsis fiunt, mala esse fatentur. Sciendum ergo & uobis, ô ingratissimi homines, quod uirtutis possessio bona est, & quod plurimos sibi labores coniunctos habet. Conuenit ergo ut quæ ab omnibus tam amicis q̄ aduersarijs collaudatur, & qua non sine laboribus frui datur, digna se præmia habeat.

Atqui in præsentī hac uita multos quidem hęc sectari, & multos pro illa labores sustinere, nō omnes uero laudem & honorē propter hanc consequi: sed alios quidem tanquam huius amatores in omnium ore uersari & celebres fieri, & morte sublatos indelebilem gloriam post se relinquere: alios uero ignotos prorsus latere, & margaritę in profundo adhuc delitescenti & ostreo conclusæ, simillimos esse uidemus. Quapropter cum hæc uideamus, consideremus penes nos ipsos, quam ob causam eorum, qui diuina magni faciūt, nonnulli quidē ualde clari, nonnulli uero prorsus ignobiles sint. Deinde cogitemus q̄ cū iustus sit uersalis ille omnium conditor & iudex, suis athletic iusta haud dubie munera retribuet, nec iustum

Vitam esse
æternā pro
batur.

perire finet iustitiæ trutina. Deinde cum & hos & illos uita functos uidemus, & hos quidē magna cum gloria, illos uero ualde ignobiliter ceu uulgares quosdam homines, aliam uitam hunc ordinasse cogitemus, in qua pro dignitate eos remunerat, qui uitam bene transegerūt. Eo enim quod nōnullos gloria honorauit, uirtuti coronas suas esse repositas manifestare uoluit. Quod uero non omnes in hac uita claros & insignes reddit, futuram illam uitam detegit. Et honor quidem quibusdam exhibitus diuinę iustitię signū fit. Quod autem non omnes eorundē operū studiosi æqualia hic præmia percipiunt, futuram uitam innuit, & eorum quę expectantur spem confirmat. Ideo non omnes qui bene & honeste uixerunt in hoc sæculo deprecatur summus ille omnium administrator, nec omnes malos similiter punit: sed alios quidem supplicio tradit, & iudiciū iustitię ostendēs & horum pœnis reliquos terrens, & ad pœnitentiam inuitans. Dum uero non omnes qui mala operantur perdit, rursus futuram uitam nobis demonstrat. Quod si nulla est alia post obitum, quo ex hoc sæculo eximus, uita, iniuriam certe patiuntur quotquot hic pœnas dant, cum alij pœnas effugiant. Iniuriā quoq; palam patiuntur, quotquot sapientię amplectuntur studium, & nullam inde uel utilitatem uel honorem auferunt, cum alij similiter bene & recte multa facientes uitam cum gloria transigant. Cæterum iustitię fontem iniustum nominare omnem blasphemiam superat, nec ullam

ullā maioris blasphemię causam relinquit. Quod si uero iustus est (ut reuera iustus est) summus ille omnium inspector, & quę sunt perspicit & iuste iudicat, iudicijq; bilancem rectā tenet, & si quo pacto inclinari uelit, gratiæ quidē, non autem iniustitię calculū imponit: aliud utiq; iudicium est, in quo & hi qui hic pœnas effugerunt, iustas pœnas persolunt, & qui nullum in præsentī uita pro uirtute honorem receperē, laborum præmia referunt. Sed idē fortassis & uos fatebimini. Nam & Græci cum nec prophetam nec apostolum nec euangelistam præconem acceperint, sola tamen natura ducti, hæc sic se habere senserunt, licet multo errore detenti sint, dum fabulas ueris suis immiscuerunt sententijs. Quoniam ergo tam poetæ q̄ philosophi, & malorum pœnas, & iustorum honores post exitum ē uita hac fore crediderunt tradideruntq;, & doctrinā literis mandatam posteritatis memoriæ reliquerunt, par equidem est, ut & uos naturæ rationibus persuasi & hæc edocti, tum etiam ijs quæ modo diximus mori, in nostram sententiā transeuntes, hæc sic se habere confiteamini.

Porro animarū duntaxat uel liberationem uel punitionem fieri, corpus uerò tanquam inutile prorsus & brutum, putredine consumendum proijci, qua ratione suspicabimur uel dicemus? ut nimirum anima, quæ unā cum corpore certamina sustinuit, sola coronetur, aut corpore exuta sola tradatur supplicio? Castigata enī nō immerito his uerbis compellaret iudicem: Non sola, o do-

Corporum
resurrectio.

mine, leges tuas transgressa sum, sed unà cum corpore in scelerum scopulos impegi: quin potius, si uerum dicere oportet, illud me in peccati foueam pertraxit. Huius oculis inescata aliena cubilia deprædata sum, formam ad alium pertinentem sollicitè ambiui, opes & pecunias concupiui, illis has me uidere cogentibus. Inde in iniustitiæ profundum incidi. Huius enim affectus me seruituti subiecerunt, & libertatem quam dederas, abstulerunt. Seruire enim coacta sum, ceu cognata & conserua, & illius ministrare usibus. Venter in gulæ uitium me compulit: gulæ studiū uero iniustitiæ cogitationes in me peperit. Nonnunquã inuita & ægre ferens carnis necessitati cessi, & anxia ac ualde dolens huius concupiscentijs seruire coacta sum. Et sæpe quidem resistebam, & illius impetus repellebam fortiter. At belli assiduitas me sapius deuicit, & misera soror huius rationibus persuasa capta sum. Corpus si quando premebam, ipsi mihi mœrendū erat, & omnis ad me redibat dolor: quod si idem enutriebam, petebar insidijs: illius enim insultus denuo excipiebam, & quid nam faciendū esset ignorabam. Huius enim miseria magnæ mihi tristitię causa erat, cura autem eius & incolumitas pugnam uehementiorē mihi exhibebat, & disijciebat aciem. Ne ergo me solam, ô Domine, supplicijs addicito, sed me aut cum hoc malis libera aut illud unà mecū pœnis adiudica. Sed & corpus, quod animæ nutibus rite obediit, similiter iudici dicat, siquidem uocis usum habeat aliquem:

quem : Vt primū me condidisti domine, animam
 insufflauisti : quod si uero principij respectu om-
 nem naturæ uiam terminare oportet, ego prius
 creatum sum, deinde demum uitalem mihi indidi-
 sti animæ potentiam. Cum eadem & ego uitæ in
 Paradiso transactę consors fui, Cōmune & idem
 tempus conceptionis in utero trāsegimus : simul
 etiam partus uis apertis in hanc uitam egressi lu-
 cis huius splendorem percepimus, & aeris usum
 attraximus : simul uitæ uiam percurrimus. Nihil
 unquā boni ipsa per se solam effectit, sed meo (car-
 nis nimirum) auxilio usa uirtutis thesaurū com-
 parauit. Ego ieiuniorum, uigiliarum, humiq; ia-
 centium cubilium omnisq; alterius miseræ curas
 sustinens thesaurum inde acquisitum ipsi collegi.
 Ego oranti lachrymas subministraui. Ego suspi-
 rare coactæ cor ad spiritus seruitiū exhibui. Mea
 lingua te celebrare consueuit. Meis labijs ceu in-
 strumentis usa laudes tibi obtulit. Meas manus in
 cœlum extendens, tui amoris fructus percepit.
 Meis lata pedibus ad sancta tua adyta cucurrit.
 Ego ipsi auditū, ut oracula tua percipere posset,
 exhibui. Meis oculis usa Solem, Lunā, stellarum
 chorum, cœlum, terram, mare omnesq; creaturas
 uisibiles cernens ad tui contemplationem deduce-
 batur : & ex eorū quæ uidebantur maiestate & pul-
 chritudine te Creatorē animi imaginatione concipiebat. Per meos oculos in scripturis absconditum
 thesaurum abstulit. Meis digitis instrumentis usa
 diuinas tuas institutiones literis exculpfit, & im-

THEOD. DE PROVIDENTIA

mortalem harum reliquit memoriã. Per meas manus quæ per totum terrarũ orbem sunt Oratoria extruxit. Me cooperatio usa charitatis leges impleuit. Meis manibus sanctorũ pedes abluuit. Meis manibus afflictorũ necessitati succurrit, æ gra corpora cura fouit. Ne me ergo à compari mea separet, quæ de superne mihi coniuncta fuit: nec soluas coniugiũ, quod nõ simpliciter uel temere coaluit, sed quod cœlitus tua operatione decretũ est: sed unam & eandem coronam ijs qui similia fecerunt retribue. Hoc enim tuæ æquitatis proprium est. Hoc decet iustum tuum iudiciũ. Hæc inquam corpus quoq; diceret, quod animæ utilem in certaminibus operã præbuit, siquidem uocis usum aliquem reciperet. Sed nec corpus hæc dicit, nec altera illa quæ iniquitati inseruiuit anima. Nec enim tali supplicatione iudex indiget: sed quemadmodũ sapienter regit, ita iuste iudicat: & cum corpora animabus reddat, similiter pro dignitate singulis retribuit. Quomodo enim non absurdũ foret, fortissimũ militem qui ex acie uictoriã retulit, & cui statuæ honor à suis delatus est, cum ea armatura qua usus hostes fugauit, uel pingi uel fingi uel sculpi, siue lapis siue æs siue tabula imaginis materia fuerit: & si arcu uicerit, cũ arcu representari, si uero hasta, galea et clypeo, iisdem rursus armis exculpi: animam uero quæ corpore simul iuuante certamen confecit, & inuisibiles hostes superans uictoriã retulit, quæq; pictorem habet uniuersalem omniũ creatorem, nudam & omni armatura

armatura spoliata prostare? Nec uero imperato-
rem solummodo sic honorari uidemus, sed athle-
tam quoq; & pugilē & cursorem, Tragædiarum
mimum, & curruum habenas regentē aurigam.
Horum enim singulī eo, quo uicerunt, habitu in
statuis proponuntur. Et hic quidem cum pulpito
prostat & chlamyde imperatoria, Oenomai cu-
iusdam aut Creontis personam gerens, omnibus
tantum non dicens, quod horum personas egerit,
& cum his uictoriæ præmio potitus sit. Hic uero
nudus currit, ipse quoq; certaminis speciem refe-
rens. Alius luctari uidetur, uel coronam tenet, &
ignaros docet quale certamen sustinuerit. Alius
item pugnat & aduersarium ferit. Alius habitu &
flagello ostendit, quam artem exercēs uictoriam
retulerit. Ne ergo naturam, per quam omnia hæc
rite fiūt, his inhonoratiōē constituas: nec Deum,
qui iustitiæ fons est, hominibus iniustiorē existi-
mes, nec etiam illū suos uictores hominum more
honorare suspiceris. Nam si homines qui sæpenu-
mero non magnam iusti æquiq; rationē habent,
quin ea potius omnino negligūt, uilium huius-
modi & inutilium certaminū uictores sic honora-
re solent: multo magis insignes istos magnosq;
uictores pugnæ illius legislator simul & agono-
theta honorabit, coronabit, & ipsam iustitiā mu-
nerum magnificentia uincet. Scio tamen unde in
hanc blasphemiam impegeris: in firmitate enim
diuina meritis, & tuam infirmitatem diuinæ po-
tentia terminū constituis: quæq; tibi impossibilia

sunt, similiter Deo quoque impossibilia facta existi-
 mas. Sed nequaquam hæc ita sunt. Nec enim idem,
 quod figulus, potest lutum, tamen ex eadem uterque
 natura constet. Et terra enim tam figulus quam lutum
 est: idemque Iobi colloquens homo testatur dicens,
 Ex eodem luto factus es, tu & ego. Nihilominus
 tamen cum ex una natura tam lutum quam figulus
 constet, non tamen æqualem in ambobus poten-
 tiam inuenire licet. Hic enim mouet, lutum uero
 mouetur: & hic quidem fingit, illud uero fingitur:
 hic macerat, illud maceratur: hic format, illud for-
 matur, & in quancumque figulus uoluerit figuram
 transit. Si uero ubi una & eadem natura est, non
 æqua tamen est potentia: multo magis ubi diuersa
 natura est, diuersa quoque potentia erit. Cæterum
 ne conferre quidem possibile est, quæ incompara-
 bilia sunt. Quomodo enim quod est nihilo factum
 est, cum eo quod semper fuit, conferetur? quod tem-
 poris initium habuit, cum eo quod æternum est?
 quod ex luto factum est, cum cæli & terræ creato-
 re? Ne igitur quæ tibi ualde impossibilia sunt,
 Deo quoque impossibilia esse existimes. Omnia enim
 diuinę naturę possibilia et ualde facilia sunt.
 Potest itaque cum uult corporis naturam, quæ semel
 in sanem diffluxit, deinde in puluerem redacta,
 & undiquaque dispersa est in fluminibus, in fretis,
 in uolucibus, in feris, in igne, in aqua (nam om-
 nes quas incredulitas profert rationes, in me-
 dium adducere libet) denuo colligere, & in prio-
 rem magnitudinem & formam reducere. Nam
 uoluit

uoluit solummodo, & factum est cœlum, & inflexum est quantum uoluit. Voluit & substrata est terra, & suspensa est, non aliud quàm à Deo prescriptum limitem, fundamentum habens. Dixit, & facta est lux. Iussit, & congregata est aquarum natura: præcepit, & à terra separata est. Annuit, & ornata est terra segetibus, syluis & pratis omnium generum. Dixit, & productæ sunt animalium infinitæ species, terrestria nimirum, aquatilia & aëria. Qui hæc uerbo effecit, facilius multo ex his corporis naturam resuscitat. Multo enim facilius est quod uetustate consumptum erat innouare, quàm ea quæ non sunt sine materia facere. Quod si huic fidem negas, Paulus, magnus ille orbis doctor, dicet tibi: Stulte, tu quod seminas, non uiuificatur nisi mortuum fuerit. Et hoc quod seminas, non corpus, quod nascetur, seminas, sed nudum granum, exempli causa, tritici aut alii cuius ex ceteris. Sed deus illi, dat corpus ut uoluit. Gen. 1.
1. Cor. 15.

Si uero huius quoque doctrinam delirium quoddam & fabulam esse putas, en naturam accipe, quæ resurrectionem docet & prædicat. Nam agricola primo quidem sulcos excindit, & ceu sepulchra quædam effodit, deinde semina istis mandat, & quasi corpora sepulturæ tradens operit. Nec quicquam amplius præter hæc ille facere potest: nisi cum aquarum copia ipsi fuerit, hanc solam fortè præbere poterit. Deus uero cœlitus pluit, uel aquam è fontibus & fluuijs deductam seminibus exhibet, deinde irrigans illa & humectans, & putredine tanquam humana corpora resoluens, illa quidem inutilia in

posterum ad esum hominibus, utilissima autē ijs, quę ex ipsis nascenda sunt, corporibus efficit. Vbi enim humorem exceperunt, & dilatata sunt, radicibus fibras pariunt, quibus illa proximam sibi terram apprehendunt: deinde humorem ex hac per radices ceu fistulas quasdam attrahunt, & herbam sursum crescentē germinant: & paulatim quidem eo quem diximus modo, nutriuntur, & calamum in altum emittunt, & spicam absconsum in se fructum continentem, atq; aristis ceu satellitibus quibusdam stipatū proferūt. Ne ergo resurrectionem negare pergas, cum quotidie resurrectionis exempla uideas, & eiusdem audias subinde præconia.

Porro ut firmam de resurrectione fidem concipias, denuo ad plantarū historiam mihi reuertere, & uitium palmites, uel ex arboribus auulsos surculos, uel ex radicibus enatos stolones inspicere. Hi enim amputatione quasi mortē subeunt. Defossi autem quasi sepulturę mandantur. Deinde terra operi & putrefacti Dei uoluntate radices deorsum agunt, & sursum germinant, & uigent, & in altum extolluntur, & fructu gemunt, adeo ut quę enatę sunt plantę sepultis palmitibus longe pulchriores sint. Sed quid palmites & arbores ac semina dicere opus est, quin tuę ipsius naturę officinam accedito. Tuę formationis materiam inspicere, quę uilis sit, parua & à pituita non multum differens. Nihilominus tamen uilis hæc & parua, tum inanimata quoq; spiritu carens & insensibilis materia, omnino Deo sic annuente, homo fit: et cum ipsa

ipsa unam & eandem formā habeat, in infinitas
tamen trāsformatur, & has quidem solidas & du-
ras, alias uero faciles & molles, alias item longas
& perforatas, alias densas & crassas, & alias qui-
dem pingues & leues, alias uero tenues reticula-
res & mēbraneas, alias rursum fistulares & tibijs
similes, alias solidas & omni concauitate carētes.
Et sanē ex parua illa materia enasci uidemus san-
guinis ductus, & spiritus canales, & solida uincu-
la, & carniū molliētem, ossium ariditatem, ocu-
lorum rigiditatem & splendorem, pupillæ purita-
tem, genarum leuitatem, pilorum tenuitatem, &
alia membra quæcunq; habet genus humanum:
quorum usum & operationē multi quidē in his
sagaci & solerti ingenio præditi enarrare tenta-
runt, uicti autem Creatoris sapientia sermonem
in hymnū finiuerunt, idq; cum non ad nostra se-
pta pertinerent, sed ex foris errantium ouium nu-
mero essent. Nihilominus tamen læta hæc pascua
carpentes, solatq; natura moti & edocti, pastorem,
gubernatorem & Creatorem omnium pro uirili ce-
lebrauerunt. Tu uero præter naturā legem quoq;
habes, & doctorem, & prophetas qui diuina tra-
dunt, tum apostolorū cœtum, qui de præsentibus
docet, & futura prædicat. Excipe ergo undiquaq;
collatū salutis beneficium. Ad hæc sola fœtum
natura primaq; hominū in utero matris formatio
dormiētium hominū resurrectionē sufficienti de-
monstratione docere potest. Finge maternū ute-
rum esse terram, matricem sepulchrum, semen ue-

THEOD. DE PROVIDENTIA

ro naturæ paruulas illas & puluerem referentes
 corporis reliquias: quod cum cunctis hominibus
 omnino inconspicuum sit, Deo tamen facile cer-
 nitur, & oculum illum nemo effugit. In manu e-
 nim eius sunt termini terræ, & ipse meritis est ma-
 nu aquas, & cœlum palma, & terram omnem
 pugno, & facile illi est ea quæ in manu sunt per-
 spicere. Nã et tibi idem facillimũ factu est: & si mi-
 scere simul uoles milium & lentes & triticum &
 hordeum, eadem facile discernis rursus, prout uo-
 les. Si itaq; in manu Dei sunt termini terræ, facilli-
 mum ei est ea quoq; quæ omnino cõmixta sunt,
 exacte discernere. Finge igitur matricem esse se-
 pulchrũ, semen uero iacentes illic reliquias, crea-
 rorem uero qui uere creator est, partus uero dolo-
 res nouissimũ uitæ diem & horrendam archange-
 li uocem. Nam tuba clanget, inquit, & mortui ex-
 citabuntur incorrupti. Tunc eorum quæ in uita
 commisimus postulabimur, tunc eorum quæ uel
 bene uel male fecimus, rationem reddemus, tunc
 absconditæ mentis nostræ cogitationes omnibus
 manifestæ fient. Tunc omnes sistemur ad tribu-
 nal Christi, ut reportet unusquisq; ea quæ fiunt
 per corpus, iuxta ea quæ fecit, siue bonum siue ma-
 lum. Hæc ergo timentes, ô homines, infestos ad-
 uersus prouidẽtiam animos deponite, fugite ma-
 lam hanc inimicitiam, blasphemiam omni excusa-
 tione destituta abstinetes. Amicitiam Creatori spon-
 dere, ut nos tanquam amicos gubernet, non qua-
 si inimicos è nauis eiiciat. Laudibus celebrate pro-
 uidentiam

Psal. 64.

Esa. 40.

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

uidentia gubernacula, ut ab his gubernati presentis uitae fluctus effugiatis, & portibus istis tranquillis tutisque potiamini in Christo Iesu domino nostro, quoniam ipsum decet omnis gloria in saecula, Amen.

S E R M O X.

Quod olim Deus non Iudaeorum modo, sed omnium quoque hominum curam gesserit, & de saluatoris incarnatione.



Impenetrabile quidem esse diuinæ sapientiae & prouidentiae pelagus euidentis. noui. Memini etiam sanctissimi prophetae clamantis, Iudicia tua Psal. 35.
 abyssus multa: memor item sum magni illius ueritatis praecoris, diuini Pauli, qui in talem uocem erumpit: O profunditatem diuitiarum & sapientiae Rom. 11.
 & cognitionis Dei: quam imperscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiae eius: Non tamen imprudenter prorsus ea ad quae penetrari nequit aggredimur, sed diuina pro uirili admiramur, & quantum ex his nostri ingenij uiribus percipi potest, laudamus. Nam eos quoque, qui Solem amplius quam oportet intueri conantur, nec ea quae cupiunt percipere, sed uisum quoque heberare, & non modo lucem inde nullam trahere, sed & tenebras sibi conciliare nouimus. Idem hoc humanam quoque mentem pati facile cernitur. Dum enim

amentia seductus homo scrutari studet quid sit
 quo terra fulcitur, & quod rursus huius funda-
 mentū, & super quo illud ipsum quoque uehatur,
 uel qualia sint quæ supra cælos sunt, quæ item ex
 tra mundum hunc uniuersum existant: nō modo
 eorum quæ quærit nullum inuenit, sed tenebris
 simul magnis & dubitatione impletus redit. Ta-
 lem esse mentis infirmitatem Paulus intelligens
 hortatur dicēs: Quod si quis purat se scire aliquid,
 adhuc nihil nouit quemadmodū nouisse oportet.
 Et rursus: Ex parte cognoscimus, & ex parte
 prophetamus. Ast ubi uenerit quod perfectū est,
 tunc quod ex parte est, abolebitur. Et alibi: Cerno
 nunc ceu per speculum & in ænigmate, tunc autē
 facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc ue-
 ro cognoscam quemadmodū et cognitus sum. Et
 rursus: Cū essem puer, ut puer loquebar, ut puer
 sentiebam, ut puer cogitabam. At ubi factus sum
 uir, aboleui puerilia. Hæc autem omnia dicit diui-
 nus uir, persuadere uolens omnibus, ut & mētis
 incredulitatem, ne impossibilia aggrediatur, refre-
 nent, & futuram in uenturo sæculo integram res-
 rum conditionem expectent. Quapropter eam,
 quæ nunc nobis data est, notitiā puerilem uocat:
 & legali quidem doctrinæ hanc conferēs, ipsam
 perfectam nominat. Eandem uero impassibili &
 immortalī uitæ conferens, iuuenilem appellat. Et
 hoc quidem diuinæ prouidentię argumentū est.
 Qui enim sapienter omnia administrat, nostræ ar-
 rogantię fastum cognitum habens, ne sanctis qui-
 dem

1. Cor. 8.

13.

dem integram diuinorum cognitionē dedit, Scientia enim, ut beato Paulo & ueritati uisum est, inflat. Sed ipsam uirtutis brauium proposuit, ut postquam in præsenti uita bene decertauimus, & affectus in uniuersum exuimus corpusq; induimus à corruptione & affectibus liberū, tunc etiam perfectam percipiamus scientiam: nullum in posterum (utpote affectibus liberati, & extra pugne periculum constituti) damnum accipientes. Ne ergo ea, ad quæ perueniri nequit, penetrare conemur: sed ea quæ accepimus, amplectamur, & prout possumus bonum illum dominū nostrum celebremus, ijsq; quas habemus, benefactorem laudibus uehamus. Videmus uiros uirtutis cultores in gloria, honore & cultu uiuere, adoremus uirtutis legislatorem & agonothetam, qui ipsam recte iusteq; deprædicat. Videmus alios eodē quidem uitæ studio occupatos, qui tamen non eadem ab hominibus præmia auferunt, ne ægre feramus, ô Philotes: sed credamus, ipsos quidem bene certare patientiæ certamen, pro hoc autem in futurum sæculum demum celebrandos esse, quemadmodum in proxima oratione diximus. Nec blasphemos contra prouidentiam sermones eiāculemur. Absurdum enim est & multa amentia, imò extrema insania plenum, illos ipsos quidem qui per fluctus nauigant, & procellis feriuntur, & multis ærumnis uitam tranfigunt, gubernatorem laudibus uehere: eos uero qui extra teli iactum (ut pro uerbio dicitur) constituti & spectatores potius q̄

1. Cor. 8.

certatores sunt, certaminum presidem blasphemis uerbis petere, cum factis non possint. At pieratis alumni non modo dum secundis uentis feruntur, merueriam cum fluctibus & tempestate colluctantes summum illum omnium deum celebrant. Beatū sanè illum Dauidem, uirum qui omnem uiram in bellis cōsumpsit, & infinitis ærumnis colluctatus est, clamātem audimus: Quid retribuam domino pro omnibus quę tribuit mihi? Similiter & beatum Daniele m audire licet, tum etiam sanctos illos iuuenes, qui in ipso periculorū assultu Deum laudant, & se pro delictis pœnas exoluere confitentur, non autem se coronis dignos dicunt, nec iudicij sententiam inique ferunt. Fame pressus magnus ille Abraham patriarcha, qui promissiones illas diuinitus acceperat, famis uires generoso animo pertulit. Bis coniuge spoliatus hanc apud barbaros homines cernens, gratias tamen uocanti se persoluit, & promissionū finem expectans, placida mente fluctus superauit. Et quæ nā oratio illius magnanimitatē æquare possit? Quis illius summam philosophiam pro dignitate miretur? Studiosis ergo historiæ lectionem relinquēs, ut inde huius fortitudinem, patientiā, temperantiam, laborum tolerantiam, amorem dei, breuiter summū uirtutis fastigiū plenus cognoscant, ipse ad noui testamēti homines sermone meo contendo. Petrum ergo & Ioannem, pieratis turres, ueritatis columnas, ecclesiæ ædificium fulciantes inspice, à Iudæis quidē flagellis cæsos, lætantes uero

& gaudentes, quod digni iudicati essent, qui pro nomine Christi infamia afficerentur. Qui enim hæc conscripsit, cū dixisset quod uirgis cæsi essent, non dixit ipsos patienter & fortiter sustinuisse flagra, sed gauisos & exultātes exiuisse. Atq; magna est inter gaudere & sufferre differentia. Nam fert quidem aliquis aduersa cum ingruunt, sed dolēs & tristis. Qui uero gaudet, animæ solatium prædicat. Sic beatus Paulus clamabat, maxima illa prædicationis tuba: Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in anxietatibus pro Christo. Non dixit, Fero aut patiens sum, sed placeo mihi, quod insignem uirtutis uim significat. Item alibi: Nunc gaudeo in afflictionibus pro Christo. Et rursus: Non sunt dignæ afflictiones huius sæculi, &c. Et iterum: Quis nos separabit à dilectione Christi? Num afflictio? num angustia? &c. Sed deficiat me dies, si omnes istiusmodi magni illius institutoris athletarum pietatis sermones colligere uelim. Si itaq; ij, qui omnes uirtutis species simul apprehenderunt, uitæ huius, quæ mare est, tempestatem non modo non ægre ferunt, uerum etiam feruente æstu & illidentibus uentis ac procellis & turbine pelagus miscente, perinde ac si secūdis uentis ueherentur lætati sunt, ipsis utiq; studio fuit, non curiosius scrutari quæ fiebant, sed gubernatorem dignis celebrare laudibus. Quid itaq; uos cū extra fluctus constituti & terrestres potius q̄ marini sitis, ea quæ fiunt carpitis, & certatores quidem laudatis, certa

minis præfidem uero reprehenditis? Atqui decebat, ut qui athletarum uirtutem admirantur, illorum quoque amplecteretur iudicium. Illi uero maximi beneficij loco receperunt eam, quæ pro uerbi prædicatione subeunda erat, miseriam, cædes, lapidationes, combustiones, flagra, conuitia, carceres, pericula in terra, in mari, in ciuitatibus, in agris, à domesticis.

Christi saluatoris incarnationis.

Quoniam uero in hos sermones digressi sumus, agedum de saluatoris quoque nostri incarnatione pauca dicamus, quod sanè summū diuinæ circa homines curæ caput est. Nā immensam huius bonitatem nec cælū, nec terra, nec mare, nec sol & luna, nec stellæ, nec tota illa uisibilis & inuisibilis creatura, quæ solo uerbo creata, quin potius iuxta huius uoluntatem uerbo producta est, ita demonstrat, ut quod ipse unigenitus dei filius (qui in forma dei fuit, splendor gloriæ, character substantiæ, qui à principio fuit, & apud deum fuit, imò ipse deus fuit, per quem omnia facta sunt) serui formam assumpsit, ut in hominis similitudine esset, & in hominis figura inueniretur ut homo, & in terra uideretur, hominibus conuersaretur, infirmitates nostras susciperet, & morbos ferret. Et beatus ille Paulus hoc maximū Dei erga homines amoris argumentum agnouit, & clamat dicens: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod cū adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Et rursus: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,

Rom. 5.

Rom. 8.

lum,

lum, qui fieri potest ut non & cum eodem omnia nobis donet? Assentitur his diuus quoq; Ioānes: Sic enim (inquit) dilexit Deus mundū, ut filium suum unigenitum daret pro eo, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitā æternam. Non itaq; simpliciter homines curat, sed amans simul horum curam gerit. Tanta autem est amoris huius excellētia, ut filium unigenitū, consubstantialē, ex utero ante Luciferum genitum, quo cooperario usus mundum creauit, medicum & Saluatorem nostrū decerneret, & per hunc adoptionis in filios dei donū nobis donaret. Postquam enim Creator naturam nostram ad acerbum tyrannum sponte trāsfigere, & in ipsum scelerum barathrum delabi, simulq; naturæ leges audacter calcari, ac Creaturā hanc uisibilem loqui quidem & creatorem prædicare, eos autem minime persuadere posse uidit, qui in extremam indolētiā inciderant, sapienter & iuste nostrā salutem operatur. Nec em̄ omnipotentia sola usus libertatem nobis donare, nec misericordiam solam aduersus humani generis plagiarium armare uoluit, ne ille iniustam hanc diceret misericordiam, sed uiam molitur amore plenam & iustitia pulchre ornata. Ipsam enim deuictam naturam sibi uniens eam ad certamen deducit, & ut acceptam cladem ulciscatur, eumq; qui olim male uicerat, deuincat, & illius qui nos amaro seruitio subiecerat tyrannidem dissoluat, ac pristinam libertatem recipiat, instruit. Idcirco dominus Christus è muliere qui

dem perinde ut nos nascitur, habet uero partus hic quiddam amplius & peculiare, nempe uirginitatem. Virgo enim erat, quæ dominū Christum concepit & peperit. Porro cum Christum nominari audieris, unigenitū illum dei filium, uerbum ante sæcula ex patre natū, animo concipe, qui humana natura circumdatus est, nec existimes sorditiam quandā esse hanc, quæ prædicatur, Dei administrationem: nihil enim polluere potest naturam illam inuiolabilem. Si enim Solem, qui corpus est (uisibilis enim & corruptioni obnoxius est) per mortua cadauera & graueolens cœnum, atq; per multa alia fœtorem afferentia transeuntem nihil inficere potest: quanto magis Solis factorem & omnium Creatorem, qui incorporeus, inuisibilis, inconuersibilis & semper sibi similis est, nihil horum polluere potest? Et hæc quidem se hoc modo habere, sic intellige.

Naturam eius infinitam esse & dicimus & credimus. Ipsum enim audiuius dicentem: Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit dominus: & cœlum mihi thronus est, terra uero scabellum pedum meorum. Et quis aquas mensus est manu, et cœlū palma & omnem terram pugno? & quęcunq; huiusmodi sunt testimonia. Et beatus ille David clamat: In manu eius sunt termini terræ: & diuinus Paulus, In ipso enim uiuimus & mouemur & sumus. Si itaq; in illo uiuimus & mouemur & sumus, iuxta Apostoli uocem, nulla utiq; mundi pars deo destituta est. Sed in rebus creatis alia quidem

ere. 23.

sa. 66.

sal. 64.

dem sancta sunt, alia uero prophana: alia item bona fragrantia, alia uero foetore redundant. Et hominum quidē alij pietate ornātur, alios uero prophana inuoluit impietas. Qui uero omnia implet complacitū habet in timentibus se, odit autem omnes qui operantur iniquitatē, & perdit omnes qui loquuntur mendaciū, et uirum sanguinū atq; dolosum abominatur dominus, nec cohabitat illi qui mala agit. Nihil itaq; ei nocet, qui inuiolabilis est. Si enim qui medicam artem exercēt, non ipsi quoq; uulnera accipiunt dum uulnera curāt, sed bonā ualitudinem infirmis conciliāt, nullum autē inde damnū referunt: multo magis optimus ille artifex Deus, qui impassibili natura & omni mutatione superiori præditus est, nec alterationem recipit, nullū omnino ē nostri curatione, dum nobis medetur, inquinamentū cōtrahit. Ipsum itaq; admiremur, qui nostri curationē nō angelis mandauit, sed ipse hominū medelam in se transtulit. Ad hūc modū ergo natus Christus dominus, maternam quidem perinde ut nos ubera sugit, in præsepe autem brutorū animalium mēsam ponitur, simul hominū brutam & ratione carentem naturam accusans, & suum erga homines amorē manifestans, quod cum ipse nutritor sit Deus, secundum humanitatē hominum cibus fit, qui magna & brutali ignorantia laborabant. Nunc uero cū brutorū ignorantia humana natura abiecerit, & rationis usum receperit, mystica hunc excipit mensa ipsa præsepj illius typus facta, & homines

THEOD. DE PROVIDENTIA

erudiens : quod cum homo in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis irrationabilibus, & similis factus est eis: præsepe diuinū illum & spiritualem cibum suscepit: postquā uero in se ipsam trāsijt natura, & imaginē diuinam circumiacere manifeste cognouit, tunc postea super rationalem mensam cibus ille transiuit. Sed & circumcisionē accepit & sacrificia obtulit. Nam homo erat. Oportebat uero per legis obseruationē naturæ conferre uictoriam. Tum ut homo in Aegyptum fugit, qui ut Deus ubiq; præsens est, & omnibus astat, ut diuina scriptura inquit. Venit præterea ad Ioannem Baptistā, qui peccati sordes non susceperat: baptizari tamen se patitur, ut omnem impleat iustitiam. Et cœlitus à patre prædicatur, & à spiritu sancto monstratur. Pater enim cœlitus clamabat: Hic est filius meus dilectus in quo complacui. Sanctus autem spiritus in figura columbæ apparens, uocem ad se pertraxit, & astantes docuit quis nam esset, qui à patre testimoniū acceperat. Hinc ad certamina contra tyrannū pergit: & stadiū quidem certaminū desertum fit: spectatores uero, angelorū populi: aduersarius autē qui ueritatis aduersarius est: qui primo quidē cum uocem audiuiisset, & propheticorum oraculorum esset recordatus, pugnā pertimuit: et uirtutis ipsius fulgorem non quidem potuit sustinere, sed cōtra pugnare cogebatur, certamen tamen timuit uocis illius memor existens. Cæterū naturæ nostræ creator & propugnator, coronator & agonothe

ra, hostem non timuit, nec belluam abigit, sed con-
 fidenter expectat & ad pugnam prouocat, ut prio-
 rem illam auferat uictoria. Et corpori, quod qua-
 draginta dierum spatio ieiunauerat, famem conci-
 liat: non tamen eorū qui olim ieiunauerant, limi-
 tem transcendere finit, ut uera illius crederetur hu-
 manitas. Vidit in scelix hostis famē, & uictoriam
 sperauit, pugnamq; cōfidenter aggressus est. Atq;
 Adamū se uidere putauit, ubi famis passionem cer-
 nit. Cæterū tanquam Adamū accessit, sed Adami
 creatorem, Adami natura amictum inuenit, & ait
 ad eum: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fi- Matt. 4
 ant: & producit quidem uocis cœlitus delatæ con-
 firmationē, ipsam uero panū miraculosa effectio-
 ne confirmari petit. Hinc probe perdiscere licet,
 quo pacto à nobis ipsis belli occasionem hostis il-
 le arripiat. Famem enim conspiciatus, ex illa ceu
 edito loco rela immittit. Sed saluator ille noster
 esuriēte licet corpore & cibi indigo miraculum
 ædere non uult. Verbo autem scripturæ tyrānum
 petit, & ait, Non in solo pane uiuet homo, sed in Deut. 8
 omni uerbo quod exit per os Dei. Vt homo autem
 responsum dedit, & diuinitatem ad tempus ab-
 scondens, hominibus similiter uictoriam cōtulit.
 Nec enim, inquit, solus panis hominibus uitæ au-
 xiliator est, sed omne uerbū à Deo prolatum suffi-
 cientem uitam famelicis hominibus præbere cre-
 dimus: adeo ut Deo uolēte absq; pane hominum
 natura uitam conseruare queat. Cum hoc modo
 aduersarij machinationes dissoluisset, simulq; se-

cundum ac terrū eius assultū inanem esse demon-
 strauisset, ceu homo demonstrationibus usus, ut
 perditam hominibus recuperaret uictoriam, ipse
 quidem noxiū illum hostem in fugam uerit, &
 comunē hominum pernitiem tyrannide exuit,
 ab angelis autē qui uictoriæ spectatores fuerant,
 prædicatur. Accedētes em̄ (inquit scriptura) ange-
 li, ministrabāt illi. Inde infinita ædidit miracula.
 Vinum sine uitium palmitibus & terra ex aqua fe-
 cit. Quinq; panibus multa millia cibauit. Verbo
 claudos celeres reddidit, leprosorū lepram abster-
 sit. Manus languentes uersatiles effecit, oculis ui-
 su captis sensum integrū donauit. Sepulchro aper-
 to mortuum, qui & uinculis constrictus & fœri-
 dus iam erat, currere, & mortis quidem manus fu-
 gere, ad uocantem autem Creatorem, nec mortis
 foribus nec uinculis impeditū, festinare fecit. His
 inquā & innumeris alijs operibus æditis, Iudæo-
 rum inuidia petitur, insidias autem uoluntarie su-
 stinet, salutem nimirū quæ in hominibus euentu-
 ra erat præuidens; & hæc olim per prophetā præ-
 dixit: Ego autem, inquit, nō sum inobediens, nec
 contradico. Sed tergū meum dedi ad flagella, ge-
 nas uero meas ad alapas, faciem autem non auer-
 ti à pudore sputorū. Hæc uaticinatus, hæc passus
 cruci affigitur, non peccatorū pœnas persoluens
 (peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus
 in ore eius) sed nostrę naturæ exoluens debitum.
 Ipsa enim debebat, Creatoris nimirū leges trans-
 gressa. Postquam quę debito tenebatur soluendo

Esa. 50.

non

non fuit, ipse dominus manifeste debiti persolutionem molitur: & humana quidē membra ceu pecunias opēsue assumens, & eadem sapienter iustitiam administrans, debito satisfacit, & naturā nostram liberat, Horum testes Esaias et Paulus sunt: ille quidem ante passionem hæc uaticinatus, hic uero post euentū oracula interpretatus: idem uero in utroque locutus est spiritus. Esaias uero eminens clamat: Homo in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem. Ab eo enim quod uiderat illi nomen tribuit, quando quidē quod ille uidit, passus est. Hic (inquit) infirmitates nostras fert, & pro nobis doloribus afficitur: nos uero putauimus illum in labore esse, & in plaga à Deo, & in afflictione. Qui enim ligno affixum uidebāt, ipsum pro plurimis peccatis puniri, & priorū scelerum pœnas exoluere putabant. Propterea medium quoque inter duos facinorosos Iudæi affixerunt, mala nimium suspitione illum apud populum grauare cupientes. Sed spiritus sanctus per prophetam docet, quod ipse uulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Idemque euidētius per ea quæ sequuntur demonstrat. Castigatio enim (inquit) pacis nostræ super ipsum. Liuore eius nos sanati sumus. Nam cum hostes Dei essemus, utpote qui ipsum offenderamus, castigationē debebamus & pœnam: Atqui hanc quidem nos non sumus experti, ipse autem noster ille saluator illam sustinuit, & hanc sustinens nobis pacem cum deo fecit. Manifestius autē

THEOD. DE PROVIDENTIA

hæc significant quæ sequuntur. Omnes (inquit) ut oues errauimus, homo uia sua seductus est. Propterea tanquam ouis ad maectationẽ ductus est, & ut agnus coram tondente se mutus. Decebat enim ipsũ, ut simili per simile mederetur, & per ouem ouium errorem reuocaret. Ouis autem fit, non in ouem transmutatus, nec conuersionẽ ullam passus, nec à propria substantia deficiens, sed ouis naturã euidentissime induit, & quemadmodũ gregis ductor aries dux gregis factus, ut oues omnes se sequantur effecit. Vt ouis itaq; sacrificiũ quoq; factus est, & pro toto genere oblatus est uictima. Nec sine causa maectationis simul & tonsionis mentionem fecit propheta, sed quandoquidem Deus erat & agnus, corpore uero maectato impassibilis permanfit diuina natura, necessario utiq; diuinus quoq; Esaias ouis maectationem simul & agni tonsuram nobis demonstrauit. Nec enim solummodo, inquit, maectatus, sed etiã tonsus est. Nam secundum humanitatem mortem sustinuit. Vt Deus enim uiuens & impassibilis permanens, corporis lanã tonsoribus dedit. Sic beatus quoque Esaias salutare illas passionẽs nobis monstrauit, & passionũ causas docuit: & diuinissimus Paulus diserte clamat: Christus nos redemit ex maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Nam scriptũ est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Dum autem dicit, PRO NOBIS, ostendit, quod innocens ipse & omni peccato liber nostrum debitum persoluerit, nosq; innume-

Gal. 3.

ris debitis pressos, & propterea seruire coactos libertate dignatus sit, nos & redimēs, & proprium sanguinem pretij loco deponens. Propterea idem alibi clamat: Pretio empti sumus. Hac de causa & crucis mortem suscepit: quandoquidem maledictum erat secundum legem hoc mortis genus, simul autē maledicta erat nostra natura, ut legem transgressa (maledictus enim, inquit, omnis qui non manserit in ijs quæ libro legis continentur, ut faciat ea) ideo communem maledictionem suscipit, & iniusta mactatione illā soluit. Nam cum maledictioni non subiaceret (peccatū enim non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius) peccatorū tamen mortē sustinuit, & cōtra cōmunem naturæ nostræ hostē, dæmonē, litigat propugnator simul et patronus nostrę naturę factus, et merito ad dirū nostrum tyrannū dicit: Captus es pessime, & tuis proprijs rebus comprehēsus es, & tuus gladius in cor tuum penetrauit, arcus tui contriti sunt, foueam fodisti & incidisti in illam. Dic enim, quare corpus meum cruci affixisti, & morti tradidisti? quam peccati speciem in me cōspicatus es? quā legis transgressionem uidisti? En diligentius nunc nudum in cruce hoc uidēns scrutare. Inspice linguam omni próbro carentē, & auditū omni noxa liberum, oculos item qui nullam extrinsecus corruptionem senserunt, & manus ab iniustitia quidem alienissimas, omni autē iustitia ornatas: pedesq; nō in malitia (ut propheticis uerbis utar) currentes, sed uirtutis stadium emensos. Scrutare

1. Cor. 7.

THEOD. DE PROVIDENTIA

quàm diligentissime omnia corporis membra. In-
 quiritō animæ motus. Si itaq; uel minimum ali-
 quod delictum inuentū fuerit, bene utiq; & iuste
 me detines: præmiū enim peccatorum est mors:
 quod si uero nihil eorum inuenis quæ diuina lex
 prohibet, quin potius omnia quæ hæc præcipit,
 non sino te detinere quod detinere nefas est: Imò
 alijs quoq; mortis carcerē aperiā, te uero solum
 concludam, utpote qui legem diuinam transgressus
 sis. Diuina enim lex peccatores morti tradidit,
 tu uero etiā peccati expertem mortis uinculis tra-
 didisti, & insatiabilis tua libido extremæ tibi cru-
 delitatis causa fuit: cumq; unum iniuste ceperis,
 omnibus simul subditis iuste spoliaris, & qui ci-
 bum uorauisti non edendū, omnem ante degluti-
 tum euomes, & docebis omnes præsentibus con-
 tentos esse, ijsq; quæ ad se non pertinet abstinere.
 Recordare propter quid humani generis proge-
 nitor Adā morti traditus sit. Hic cū ipsi omnium
 paradisi arborum copia facta esset, ijs quæ data es-
 rant non contentus, arborem scientiæ tangere au-
 sus est, cuius fructum Creator uetuerat: unde insa-
 tiabili cupiditate laborans, & uerita concupiscēs,
 toto paradiso priuatus est. Istis te quoq; supplicijs
 subiā. Iniustū enim foret, eum qui seductus
 fuit istiusmodi pœnam sustinuisse, seductorem ue-
 ro non eodem supplicio puniri. Quoniam itaq;
 & tu, qui potestatem in peccatores acceperas, cor-
 pus inuasisti nullius peccati reum, potestate tua di-
 scedito, tyrannide desistito, omnes à morte libera-
 to.

to. Non simpliciter dominij potestate utor, sed potestate iusta. Debitum enim pro humano genere persolui. Qui mortem non debui, mortem sustinui: quicq; morti subiectus non eram, mortem suscepi. Insons cum essem, fontibus ascriptus sum: quicq; à debitis omnibus liber eram, in debitorum ordinem constitutus sum. Naturæ ergo debitum persolui. Et dum mortem immeritam sustinui, meritam dissoluo: quicq; iuste detenti fuerant, ipse iniuste correptus è carcere dimitto. Vide naturæ christographum sublatum, ô amara mors. Vide illud ipsum cruci affixū, & sublatis ex eo peccatorum notas aspice. Vide ut malitię subscriptionem non acceperit. Huius ergo corporis oculi oculorū qui male spectauerant, soluerunt debitū: huius aures pro inquinatis satisfecere auribus: similiter & lingua, manus ac membra reliqua pro mēbris quæ peccata qualiacunq; commiserunt. Debito igitur persoluto, cōuenit ut qui propter illud carceribus inclusi fuerunt, carceribus liberentur, & pristina libertate fruātur, ac ad patrios locos redeant. Hæc fatus dominus proprium corpus excitauit, & hominum naturæ resurrectionis spem seminauit, sponsorem omnibus dans proprii corporis resurrectionem. Nec aliquis hæc nos nugari existimet: è sacris enim euangelijs & apostolicis traditionibus hæc sic se habere instituti sumus. Nam ipsum dominū audiuius dicentem: Venit mundi princeps, & in me inueniet nihil. Nullū enim, inquit, habeo peccati iudiciū. Corpus habeo omni pec-

cato liberū: ueruntamen licet nihil inueniat, qua-
 si innumeris obnoxium debitis morti tradet: ego
 autem id patior, ipsum sua tyrannide iuste eijcere
 uolens. Quapropter alibi item inquit: Nunc iudi-
 cium est mundi huius: nunc princeps mundi hu-
 ius eijcietur foras. Cum enim iudiciū fuerit, con-
 demnabitur, & tyrānide eijcietur, ut qui iniustam
 contra me sententiam iulerit. Edocens deinde, q̄
 non suum modo corpus è mortis potestate libera-
 turus sit, sed uniuersam simul humani generis na-
 turam, mox infert dicens: Et ego, cum exaltatus
 fuero, omnes traham ad meipsum. Nec enim pa-
 tiar illud quod ipse assumpsi, solummodo corpus
 resurgere: sed omnibus hominibus resurrectio-
 nis copiam faciam: ideo enim ueni & serui for-
 mam assumpsi: tum ad macerationē ductus sum,
 & ceu agnus coram tondēte se mutus fui. Eadem
 beatus Paulus quoq; inquit Colossensibus, et per
 hos cunctis hominibus scribēs: Nam & uos (in-
 quit) cum essetis mortui per delicta & per præpu-
 rium carnis uestre, simul cum illo uiuificauit, con-
 donans nobis omnia delicta, deleto quod aduer-
 sus nos erat chirographo, quod erat contrarium
 nobis per decreta: & illud sustulit è medio, affixū
 cruci: expoliatosq; principatus & potestates, id
 est, omnes aduersas potentias, ostentauit palam,
 triumphans de illis per semetipsum. Id est, Inno-
 cens & peccatis carens corpus suum & animam
 illis spectandam exhibens, & iniustam illorū con-
 tra se prolata sententiam arguens: hęc ubi fecit,
 simul

Ioan. 12.

Col. 2.

simul secum omnem humanam naturam uiuificauit. Atq; infinita alia testimonia in scripturis inuenire licet, quæ hæc ita se habere docent: sed si singula colligere & conuenientem ipsis expositionem addere uelimus, infinitæ uerboſitatis opus conficiemus. Studiosis ergo hæc colligendi laborem relinquens, ad ordinẽ orationis constitutum tranſeo. Hoc itaq; modo dominus utpote mortis uiribus dissolutis & salute nostra parata, in cœlos redijt, & pietatis alumnis eiusdẽ ascensionis spem reliquit. Cum enim (inquit) exaltatus fuero, omnes trahã ad meipsum. Tanta Dei illius omnium domini erga homines cura fuit. Tantam Deus erga ingratum opus prouidentiam exeruit. Tanta primi illius exemplaris circa suam imaginẽ prospicientia est. Ab initio condidit, similitudine sua dignatus est: ipsa uero ingrata erga factorẽ facta est, & diuinam imaginem corrumpēs, belluarum characteres assumpsit: & ex diuina in ferinam & belluinam, murata est. Sed nõ neglexit hanc Opifex, quæ nunc belluinam formam induerat, sed in nouauit ipsam, & ad pristinum decorem reduxit, ueteremq; uenustatẽ reddidit, eosq; in filios suos adoptauit, qui ne seruire quidem digni erant.

Ioan. 12.

Sed sunt quidam, qui nihil operis faciunt, ut D. Paulus inquit, sed inutilibus rebus dediti curiose inquirunt quæ non fas est, & diuinæ sapientiæ abyssum proprijs rationibus metiri studentes dicunt: Quam ob causam non ab initio statim hæc instituit dominus, sed post tot demum annorum mil-

2. Theſ. 3.

Christi mysterium ab æterno sic institutum est.

ia? Cæterū quod talia curiosius scrutari nimium
 audax sit & temerarium facinus, ipsi quoque di-
 cent, qui talia scrutantur. Porro ut Deum hæc non
 erroris pœnitentia instituisse & administrauisse,
 sed olim et ab initio statim sic ordinauisse, demon-
 strems, agedum sacras scripturas in medium ada-
 ducamus, & primo ipsum Christum dominū au-
 diamus, qui in euangelijs dicit: Venite benedicti
 patris mei, possidete regnum, paratum uobis ab
 exordio mundi. Si uero ante mundi creationem
 apostolis & ijs qui per hos crediderunt, regnum
 preparauit, constat certe quod olim hæc ita uolue-
 rit dominus, & nequaquam nunc quidem hæc,
 nunc autem alia sentiat. Singulis autem tempori-
 bus quæ commoda sunt peragit, & hominum fa-
 cultate doctrinæ suæ institutiones metitur. Idcir-
 co Adamo, quasi nuper edito infanti præceptum
 de arbore præscribit. Superuacanea enim illi fuis-
 set tota lex de adulterio, de cæde & reliquis præci-
 piens. Cum qua enim adulterium committeret,
 unica tunc temporis existente fœmina? Quem oc-
 cideret, cum non esset à quo irritaretur? Contra
 quem item uel falsum testimonium fingeret, uel
 iniustitiam operaretur? Quapropter illud solum-
 modo de arbore præceptum accipit, puerile quid-
 ciam & modo natis infantibus conueniens. Rur-
 sum uero aucto iam post multorū annorum nu-
 merum humano genere, ipsi Noë de cibus leges
 tulit, & omnibus libere carnibus uesci, mūdīs sci-
 licet, (nam & horum discrimen ipsum edocuit) iu-
 ber,

Matt. 25.

Gen. 2.

Gen. 6.7.

bet, folius autem sanguinis esu ipsi interdicat. Inde post longi temporis euolutionē, Abrahamum quidem uocat, patriam domum relinquere iubet, ducit uero ipsum in regionem, quę olim quidem Chananæorum, nunc autem Palæstinorum dicitur, & circumcisionis præceptum illi dat, ut qui ex illo enascendus erat populus superfluum ablationem religionis signum habeat. Famis autē necessitate inducta, pietatis præconem circumducit undiq; tam Aegyptijs quā Palæstinis suum ostendens cultorem. Et permittit quidem rapti à barbaris illius coniugem, raptam uero defendit, & raptos flagellauit: quiq; mulierem ceu uenatores ceperant, eosdem capta fera potiri non fuit, sed ijs quę intra casses suos erant frui non potuerūt. Ipsi uero retibus inuisibilibus capti sunt, & experientia magistra hospitem suum Deo amicū gratumq; esse didicerunt. Et hospitem, aduenam nimirum ac peregrinum accersunt, qui gentium illarum reges erant, & hospiti supplices fiunt. Hic uero excusationem accipiens pietatis præcepta ignorantibus attulit. Et in iustitia pietatis uiam aperuit, ac iniqua illegitimaq; cupiditas Dei cognitionem conciliat. Similiter ea quoq; quę Isaac & Iacobo contingere, disposuit. Nam ille quidem in Abimelech beneficia contulit: hic autem Labano uerum Deum monstrauit, & eorum qui cum non essent Dij, tamen uidebantur, infirmitatem arguit. Eadem ratione res Iosephi administrauit. Et permittens quidem prius seruum fieri, per

Gen. 12.
&c.

Gen. 20.

Gen. 24.
&c.

Gen. 36.

9 seruitutem, calumnias & uincula, Aegyptiaci re-
 10 gni habenas illi tradidit. Et hic quidē unū Deum
 pincernæ prædicat, deinde ipsi regi eandem illam
 doctrinam affert. Inde rerum gubernationem sus-
 11 scipiens, totā nauim sapienter regit. Sic Izraelem
 in immensum auctum Aegyptiaca seruitute libe-
 rare uolens, per multa & magna signa liberat, in-
 de gloriam & magnificentiam ipsis concilians.
 Hanc etenim gentem ut omnibus gentibus ad
 dei notitiam magistra esset, delegit. Et quemad-
 modum ad huius gentis curam nunc quidē Mo-
 sem, nunc uero Iosuaam, Samuelem item, & aliās
 alium quempiam prophetarum delegit, & per
 unum hominem ueræ sapientiæ studiosum, toti
 genti benefecit: Ita per unam Izraelitarū gentem
 omnes gentes eadem natura præditas, ad pietatis
 consortium uocauit. Et hæc quidem uera esse Ra-
 ab meretrix testatur, quæ alienigena quidem &
 meretrix existens, sola tamen fama contenta per
 hanc pietatem suscepit, & domesticos quidem de-
 stituit, alienos autē amplexa est. Audiuius enim
 (inquit) qualia fecerit dominus Deus uester Ae-
 gyptijs, & cecidit timor uester super nos. Pro-
 pterea cum speculatoribus conuenit, & conuenta
 iureiurando confirmat. Testes etiam sunt Palæsti-
 ni alienigenæ arcæ præsentiam timentes, & sibi
 inuicem dicentes: Hic Deus est, qui percussit Ae-
 gyptum: Væ nobis allophylis. Ideo Deus allo-
 phylis arcam quidem tradit, populi iniquitatem
 arguens (Nec enim oportebat legem propugna-
 torem

Exo. 1. 2. 3.

2c.

Gen. 1.

Gen. Reg. 4.

torem suum facere eos, qui legem palam transgressi fuerant) traditæ autem maiestatem tuetur, allophylos docens, quod non Deum uicissent, sed hominum iniquitatem. Propterea Dagon quoque, quem illi ceu Deum adorabant (idolū uero hic erat mutum, & omnis sensus expers) ante arcam corruere facit, & eundem cultoribus illius spectandum exhibet, ut allophyli discrimen discerent. Illi uero eundem stolide rursus erigunt: de quo autem collapsum uident, & tamen adorant. Deinde magna amentia ducti & discrimen uideri non uolentes, experientia magistra sapere didicerunt, & castigati resipuerūt, & ignorantia ebricitate excussa, arcam ut decebat suis cultoribus remittunt, & anathematis eam honorantes castigationes suas prædicant, eosque qui illam suscipiebant reditus modum docent. Idem erga Balthazarem fecit Deus. Postquam enim in multam impietatem impingentem populum captiuum in Babylonem transmisit, & sacra uasa hostium spolia facta sunt, Nabuchodonozor quidem hæc utpote diuina & sacra à prophanis usibus longissime remouit, & in templa eorum, quos ipse pro Dijs habebat, intulit. Illius autem filius, Balthazar scilicet, paternis calamitatibus non satis edoctus, nec expendens quantas ille arrogantia pœnas exoluisset, licet hæc, ut illi moris erat, sacra uasa honorasset, in medium quidem profert, quæ semel Deo consecrata erant, ex hisdem uero potat homo infelix, simulque compotoribus offert quæ tangere

nefas erat. His autem transactis, mox contra in-
 fœlicem sententia profertur, & cuiusdam inuisibi-
 lis manus parieti Dei sententiam inscripsit. Tunc
 quidem animo hæsitabat, cum nec legere, nec eo-
 rum quæ scripta erant sensum percipere posset,
 mater uero Daniele, qui patrem sæpius istius-
 modi dubitatione liberauerat, in medium addu-
 cit. At hic legit simul & interpretatus est, & pœnæ
 causam docuit, dicens: Quemadmodum nos pec-
 catorum pœnas exoluentes captiui facti sumus:
 & hæc uasa, quæ à nobis consecrata captori Deus
 tradidit, nos nimirum docens, quod non ceu in-
 digus sacrificantium hæc tulerit, sed quoad pieta-
 ti studuimus hæc à nobis oblata suscepit, nos cu-
 rare uolens: quando uero ad impietatem impegi-
 mus, ipse etiam oblata à nobis reiecit munera: sed
 hæc quidem pater tuus aliquo modo castigatus,
 ut mos est honorauit, ab humano quidem usu
 illa longissime remouens, ijs uero quos ipse deos
 putabat offerens. Tu uero nec eum quidem, qui
 ab illo his habitus est, honorem considerans, in
 arrogantia barathrum delapsus es, & in sacris ua-
 sis uoluptatis libidinem explere studes. Propterea
 horum dominus docet te, qualis arrogantia fi-
 nis sit, non quidem inanimatorum curam ha-
 bens, sed hominibus sua prouidentia prospiciens:
 & per tua supplicia multis hominibus modestia
 exemplum proponens. Hæc quidem ille dicebat.
 Hic uero ea nocte pœnas persoluit. Vide ergo,
 ut omnium hominum semper curam habuerit
 sua

sua prouidentia summus ille omnium Creator,
 non eorum modo, qui genus ex Abraham dedu-
 cunt, sed omniū qui ex Adam sunt. Et per unam
 gentem omnes gentes ad Dei cognitionem per-
 duxit. Nec modo cum pietatem sectarentur, ho-
 rum doctrinam omnibus hominibus obtulit, ue-
 rumetiam cum iniquitatis pœnas ab ipsis exige-
 ret. Quippe Nabuchodonozorem illum, arro-
 gantem, tyrannum, qui auream statuam erexit,
 qui dicebat: Super astra ponam thronum meum, Esa. 10.
 ultra nubes ascendam, & ero similis altissimo, &
 apprehendam manu totam terram quasi nidum,
 & ceu ova derelicta tollam: nō per angelos sum-
 mus ille Deus castigauit ut saperet, sed per eos qui
 ab ipso captiui ducti fuerāt. Vt enim ille tres pue-
 ros, qui regium edictum non implerant, horren-
 dum illum ignem ceu rem ludicram contemne-
 re, & super prunas ardentes quasi super rosas in-
 cedere, ac tali flamma circumdatos Deum laudi-
 bus celebrare uidit, miraculo quidem obstupescit,
 percussus autem miraculi authorem pertimescit.
 Omnibus uero imperat ut horum Deum ado-
 rent, ipsumq; altissimum nominat, & omnium
 Deum ac regem uocat. Sic Assyrium illum con-
 tra se insanientem & insanis illis uerbis usum,
 Quoniam non liberauit uos dominus Deus ex 4. Reg. 18.
 manu mea, & sunt Dij gentium: ut propriam in-
 firmitatem agnosceret castigauit, & solum aufu-
 gere coegit, multa illa hominum millia, quibus
 superbiebat breui temporis momento per unum

angelum morti tradens. Sic Ionam Nineuitis poenitentiae praecone transmissit, & iussa exequi nolentem, sed fugam stulte molientem fluctibus quidem constringit ceu carcere quodam, & ceto tradit. Irrationalis autem piscis rationalem hominum eo deduxit, ubi praedicare iussus erat.

gelli in
entes
dica-

Postquam uero magnum illud suae administrationis mysterium perfici, & diuinae incarnationis praeconium per totum terrarum orbem dispergi debuit, tunc reliquum illum populum, quem beneficio singulari ab initio ex omnibus populis elegerat, in totum terrarum orbem dispersit, ut omnes audire assuescerent, qui Deorum multitudine decepti erant, quod uidelicet unus Deus est, caeli & terrae conditor, & praedicatio quoque per diuinos apostolos facilius fieret.

Sed dicat fortasse aliquis, quod Iudaei doctrinam Christi non modo non adiuuerint, uerumtamen ualde ei obstiterint, ipsaque qui ex gentibus credituri erant fuerint obstaculo. Sed si quis diligenter rem excutere uelit, Iudaeorum resistantiam, gentium fidem plurimum adiuuisse inueniet. Disceptatio enim cum Iudaeis & e lege ac prophetis desumpta demonstratio, manifeste illorum insaniam arguebat, gentibus autem demonstrabat Christianam politiam olim praedicatam esse. Et testimonium quod ab hostibus ferebatur eum qui praedicabatur sermonem fide dignum reddebat. Huius enim sermonis praecones in medium producebant, & Abraham patriarcham, qui easdem promissiones

missiones accepit, & Isaacum promissionis fructum, & Iacobum, qui eandem benedictionem à patre reulit, & Iudam, qui paternam benedictionis sortem suscepit, & Moſem, qui hæc prædixit, & regem Dauidem, qui eadem uaticinatus eſt, & Eſaiam, Ieremiam, qui eadem prædixerunt, Ezechielem & Danielelem, qui hæc per ſpiritum prædicarunt, totum præterea prophetarum chorum, qui noſtra hæc euidentiffime ante oſtendit. Hæc cum uiderent auditores, ſimul ipſi quoq; aſſentiebantur, Iudæorum nempe hæſce uoces diuinas eſſe: miracula autem, quæ in Chriſti nomine perficiebantur, conſpicientes, & ſigna ceu fideiuſſorem ſermonum accipientes, prædicationem quidem facile recipiebant, credebant autem Deo qui prædicabatur, & Iudæorum impias nugas abominabantur. Proinde Iudæorum incredulitas diuinæ prædicationi non modo impedimentum non fuit, ſed ijs potius quibus reſiſtere conabantur, ſermoni fidei authoritatem conciliauerunt. Contradictio enim domini testimonia producere coegit: illa autem mendacium confutauerunt, & uirtutis lucem oſtenderunt. Olim itaq; uniuerſalis ille omnium Deus hominum ſalutem ſtudioſe adminiſtrauit, & ſingulis temporibus commodam curam adhibuit. Et hæc docens beatus Paulus dixit: *Quandiu hæres puer eſt, nihil differt Gal. 4.* à ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, uſq; ad tempus quod pater præſcripſerit. Sic & nos, cum eſſemus pueri, ſub

elementis mundi eramus, in seruitutem adacti.
 At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus fi-
 lium suum factum ex muliere, factum legi obno-
 xium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut
 adoptione ius filiorum acciperemus. Quod uero
 ad hanc dispensationem non pœnitentia prioris
 institui peruenerit, sed ab æterno ita instituerit
 idem testis doceat, Corinthijs præcipiens & scri-
 bens: Sapientiam loquimur inter perfectos: sapi-
 entiam autem non sæculi huius, neq; principum
 sæculi huius, qui abolentur: sed loquimur sapien-
 tiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quã præ-
 finierat Deus ante sæcula in gloriam nostram,
 quam nemo principum sæculi huius cognouit.
 Nam si cognouissent, haudquaquam principem
 gloriæ crucifixissent. Nec enim hominum felici-
 tati inuidentes, summæ beatitudinis occasionem
 illis præbuerunt: sed ignorantes mysterij finem,
 contra saluatorem animarum nostrarum insani-
 uerunt, iniusti autem summa bona nobis propi-
 narunt. Proinde absconditum quidem mysterium,
 ante sæcula autem prædefinitum fuit mysterium.
 His igitur cognitis, & illius per omnia penetran-
 tem prouidentiam edocti, & inscrutabili eius er-
 ga homines amore uiso, immensaq; eius perspe-
 cta misericordia, benefactorem celebrare discite.
 Gratis sermonibus beneficia rependite. Sacrifica-
 te Deo sacrificium laudis: linguam blasphemia
 ne polluaris, quin laudis organum efficite, quæ
 in hunc usum facta est. Diuina opera quæ qui-
 dem

dem uidentur adorare, abscondita uero non
 curiosius inquirete, sed cognitionem horum in fu-
 turum tempus expectate, quando exuemus affe-
 ctus, tunc perfectam cognitionem accipiemus.
 Ne imitemini Adamum, qui uetitos fructus de-
 cerpere ausus est: ne tetigeritis abscondita, sed suo
 tempore illorum cognitionem relinquit. Sapien-
 ti obtemperate, qui dicit: Ne dixeris: Quid hoc *Eccles.*
 est: in quem finem hoc est: Omnia enim in usum
 suum creata sunt. Undiq; ergo hymnorum occa-
 siones corrogantes, & unam inde hymnodiam
 conficientes nobiscū offerte Creatori, bonorum
 datori, & Saluatori Christo, uero Deo no-
 stro. Ipsi gloria & adoratio, & ma-
 gnificētia in nunquam finien-
 da sæcula sæculorum,
 Amen.

Errata.

Folio 44. b. uersu 13. lege Nephelotheriam. Est au-
tem aucupij uel etiam retis genus, quo in altum aerem
suspensio capiuntur uolucres. Folio 55. uersu 15. The-
saurum. Ibid. uersu 28. sonorum authores (non qualita-
tes.) lege. Errore enim factum est, ut interpres ποιότη-
τας pro ποιητάς legerit. Fol. 60. b. uersu ult. strag-
guli. Fol. 79 uersu ultimo, Trisilia.